



# BENEDICTI PP. XVI

SUMMI PONTIFICIS

ADHORTATIO APOSTOLICA  
POSTSYNODALIS

*VERBUM DOMINI*

AD EPISCOPOS CLERUM  
PERSONAS CONSECRATAS  
NECNON CHRISTIFIDELES LAICOS  
DE VERBO DEI  
IN VITA ET IN MISSIONE ECCLESIAE

LIBRERIA EDITRICE VATICANA  
MMX



# BENEDICTUS PP. XVI

## EXORDIUM

1. **V**ERBUM DOMINI manet in aeternum. Hoc est autem verbum, quod evangelizatum est in vos (cfr *1 Pe* 1,25; *Is* 40,8). Primae huius Epistulae Petri, Isaiae prophetae verba referentis, per sententiam in conspectu Dei mysterii ponimur, qui se ipsum per Verbum suum donatum communicat. Verbum hoc, quod manet in aeternum, in tempus est ingressum. Suum Verbum aeternum humana ratione pronuntiavit Deus; eius Verbum «caro factum est» (*Io* 1,14). Hic est bonus nuntius. Hic est nuntius qui saecula decurrit, ad nos perventurus. XII Coetus Generalis Ordinarius Synodi Episcoporum, in Civitate Vaticana diebus V-XXVI mensis Octobris anno MMVIII celebratus, hoc enodavit argumentum: *Dei verbum in vita et in missione Ecclesiae*. Altum quiddam est expertus cum Christum conveniret, Patris Verbum, qui adest ubi sunt duo vel tres congregati in nomine eius (cfr *Mt* 18,20). Adhortatione hac apostolica postsynodali libenter occurrere volumus Patribus postulantibus ut universus Dei Populus divitias cognoscat, quae ex Vaticana congressione exstiterunt, simul ac indicia per commune opus proposita.<sup>1</sup> Hoc in rerum prospectu considerare volumus id quod Synodus effecit, prae oculis

<sup>1</sup> Cfr *Propositio* 1.

habentes exhibita documenta: *Lineamenta, Instrumentum laboris, Relationes ante et post disceptationem* necnon textus communicationum, cum in aula lectarum, tum *per scriptum* datarum, Relationes Circulorum Minorum eorumque disceptationes, Nuntium postremum ad Dei Populum destinatum atque praesertim *nonnullas Propositiones* peculiare illas, quas magni momenti Patres iudicarunt. Hoc modo quaedam praecipua demonstrare cupimus, ut divinum Verbum in Ecclesiae vita denuo detegatur, quod perennis renovationis est fons, exoptantes item ut ipsum magis magisque cor fiat omnis ecclesialis operae.

*Ut gaudium nostrum sit plenum*

2. In memoriam primum revocare volumus pulchritudinem et renovati occursum cum Domino Iesu iucunditatem, quam synodalis Congressionis diebus sumus experti. Hac de causa Patrum vocis induentes personam, ad cunctos fideles Nos convertimus sancti Ioannis verbis, quae sunt in Prima eius Epistula: « Annuntiamus vobis vitam aeternam, quae erat coram Patre et apparuit nobis – quod vidimus et audivimus, annuntiamus et vobis, ut et vos communionem habeatis nobiscum. Communio autem nostra est cum Patre et cum Filio eius Iesu Christo » (1 Io 1,2-3). Apostolus nobis dicit *audire, videre, contrectare et contemplari* (cfr 1 Io 1,1) Vitae Verbum, quoniam Vita ipsa in Christo est manifestata. Atque nos ad communionem vocati cum Deo et inter nos, huius doni praecones esse debemus. Hoc in kerygmatico prospectu, synodalis Congressio Ecclesiae atque mundo argumento fuit quam esset pulchrum in ecclesiali communionem Dei Verbum nancisci. Itaque omnes fideles cohortamur ut personalem communemque denuo detegant occursum cum Christo, Vitae Verbo, quod visibile factum est, atque ipsius fiant praecones, ut divinae vitae donum, communio, magis ac magis in terrarum orbe diffundatur. Etenim vitam Dei, Trinitatis Amoris, communicare *gaudium est plenum* (cfr 1 Io 1,4). Donum est et necessarium Ecclesiae munus

gaudium communicare, quod ex Personae Christi occursum oritur, Dei Verbi quod inter nos est. In mundo quodam, qui supervacaneum extrariumque considerat Deum, nos sicut Petrus confitemur Eum unum «verba vitae aeternae» (*Io* 6,68) habere. Nulla res est magis anteferenda quam haec, scilicet iterum homini nostrae aetatis aditum ad Deum patefacere, ad Deum quippe qui loquitur et suum amorem nobis communicat, ut vitam abundantius habeamus (cfr *Io* 10,10).

*Ex Constitutione «Dei Verbum» ad Synodum de Dei Verbo*

3. Per XII Coetum Generalem Ordinarium Synodi Episcoporum de Dei Verbo nos conscii sumus posuisse nos argumentum illud veluti *cor* ipsum vitae christianae, quod est proximum superiori Coetui synodali de *Eucharistia fonte et culmine vitae et missionis Ecclesiae*. Ecclesia namque Dei Verbo fundatur, ex ipso oritur et eo vivit.<sup>2</sup> Saeculorum suae historiae decursu, Dei Populus ex eo suam vim usque hausit atque ecclesialis communitas hodie etiam Dei Verbum auscultans, celebrans et vestigans adolescit. Agnosci autem debet postremis his decenniis ecclesialis vitae de hoc argumento increbuisse sensum christianae Revelationis, vivae Traditionis sacraeque Scripturae peculiari habitatione. Initio a Leonis XIII pontificatu sumpto, quaedam plus plusque sunt suscepta ut maior habeatur conscientia momenti Dei Verbi et biblicarum inquisitionum in Ecclesiae vita,<sup>3</sup> quod in Concilio Oecumenico Vaticano II suum attigit fastigium, peculiarem in modum per Constitutionem dogmaticam de divina Revelatione *Dei Verbum* promulgatam. Documentum in ecclesiali itinere est maximi ponderis: «Patres synodales ... animo grato

<sup>2</sup> Cfr XII COETUS GENERALIS ORDINARIUS SYNODI EPISCOPORUM, *Instrumentum laboris*, 27.

<sup>3</sup> Cfr LEO XIII, Litt. enc. *Providentissimus Deus* (18 Novembris 1893): *ASS* 26 (1893-94), 269-292; BENEDICTUS XV, Litt. enc. *Spiritus Paraclitus* (15 Septembris 1920): *AAS* 12 (1920), 385-422; PIUS XII, Litt. enc. *Divino afflante Spiritu* (30 Septembris 1943): *AAS* 35 (1943), 297-325.

agnoscunt, quanta beneficia inde provenerint vitae Ecclesiae in exegesi, et in theologia, et in vita spirituali et in actione pastorali atque oecumenica». <sup>4</sup> Increbruit his annis potissimum conscientia prospectus trinitarii et historici salvifici revelationis<sup>5</sup> in quo agnoscitur Iesus Christus «mediator simul et plenitudo totius Revelationis». <sup>6</sup> Ecclesia incessanter confitetur omni generationi: Is «suiipsius praesentia ac manifestatione, verbis et operibus, signis et miraculis, praesertim autem morte sua et gloriosa ex mortuis resurrectione, misso tandem Spiritu veritatis, Revelationem complendo perficit». <sup>7</sup>

Omnes profecto sciunt quantum Constitutio dogmatica *Dei Verbum* contulerit ad Verbum Dei iterum detegendum in Ecclesiae vita, ad divinam Revelationem theologice inquirendam ac sacram Scripturam vestigandam. Haud pauca Magisterii ecclesialis documenta his de rebus postremis quadraginta annis annumerantur. <sup>8</sup> Ecclesia suo de continuato itinere, Spiritu Sancto duce, cum sibi sit conscia, per huius Synodi celebrationem animadvertit se vocari ad divini Verbi argumentum altius vestigandum, sive ut Concilii propositorum ponderentur effectus, sive

<sup>4</sup> *Propositio 2.*

<sup>5</sup> *Ibid.*

<sup>6</sup> CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de divina Revelatione *Dei Verbum*, 2.

<sup>7</sup> *Ibid.*, 4.

<sup>8</sup> Ex omne genus documentis memorentur oportet: PAULUS VI, Ep. ap. *Summi Dei Verbum* (4 Novembris 1963): *AAS* 55 (1963), 979-995; ID., Motu Proprio *Sedula cura* (27 Iunii 1971): *AAS* 63 (1971), 665-669; IOANNES PAULUS II, *Audientia Generalis* (1 Maii 1985): *L'Osservatore Romano*, 2-3 Maii 1985, p. 6; ID., *Allocutio de interpretatione Bibliorum in Ecclesia* (23 Aprilis 1993): *AAS* 86 (1994), 232-243; BENEDICTUS XVI, *Allocutio ad Congressum Internationalem XL elapsis annis a Const. dogm. Dei Verbum edita* (16 Septembris 2005): *AAS* 97 (2005), 957; ID., *Angelus* (6 Novembris 2005): *Insegnamenti I* (2005), 759-760. Memoranda quoque sunt documenta PONTIFICIAE COMMISSIONIS BIBLICAE, *De sacra Scriptura et christologia* (1984): *Ench. Vat.* 9, n. 1208-1339; *Unità e diversità nella Chiesa* (11 Aprilis 1988): *Ench. Vat.* 11, n. 544-643; *L'interpretazione della Bibbia nella Chiesa* (15 Aprilis 1993): *Ench. Vat.* 13, n. 2846-3150; *Il popolo ebraico e le sue sacre Scritture nelle Bibbia cristiana* (24 Maii 2001): *Ench. Vat.* 20, n. 733-1150; *Bibbia e morale. Radici bibliche dell'agire cristiano* (11 Maii 2008), Città del Vaticano 2008.

ut novis provocationibus occurratur, quas hodierna tempora in Christo credentibus afferunt.

*Synodus Episcoporum de Dei Verbo*

4. In XII Coetu synodali, Pastores ex toto terrarum orbe venientes propter Dei Verbum sunt congregati atque symbolice in medio Coetu librum Bibliorum posuerunt, ut denuo id detegere-  
tur quod in cotidiana vita adit periculum ne illud pro concessio habeatur: *eo quod Deus loquitur et nostris interrogationibus respondet.*<sup>9</sup> Una simul Domini Verbum auscultavimus et celebravimus. Alius ad alium narravit quantum in Dei Populo fecerit Dominus, spes communicando et sollicitudines. Haec omnia conscios nos reddiderunt, necessitudinem cum Dei Verbo solummodo intra illud «nos» Ecclesiae posse nos altius perscrutari, cum auscultamus et nos mutuo suscipimus. Hinc propter vitae ecclesialis testimoniationes in diversis orbis terrarum locis gratus animus efficitur, quae ex diversis sermonibus in aula emerunt. Eodem modo animus est permotus, cum Delegati fraterni audirentur, qui invitationem receperunt ut synodalem congressionem participarent. Peculiarem in modum de intercessione cogitamus, quam Sua Sanctitas Bartholomaeus I, Patriarcha oecumenicus Constantinopolitanus, obtulit, propter quam synodales Patres pergratum suum animum patefecerunt.<sup>10</sup> Praeterea Synodus Episcoporum etiam Rabbinum invitare voluit, qui magni pretii testimonium de sacris Scripturis Hebraeorum redderet, quae nimirum sunt etiam partes nostrarum sacrarum Scripturarum.<sup>11</sup>

Sic laeto gratoque animo experiri potuimus «adesse in Ecclesia hodie etiam Pentecosten – ipsam videlicet multis linguis loqui atque non tantummodo eo quod exterius in ea omnes prae-

<sup>9</sup> Cfr BENEDICTUS XVI, *Allocutio ad Romanam Curiam* (22 Decembris 2008): *AAS* 101 (2009), 49.

<sup>10</sup> Cfr *Propositio* 37.

<sup>11</sup> Cfr PONTIFICIA COMMISSIO BIBLICA, *Il popolo ebraico e le sue sacre Scritture nella Bibbia cristiana* (24 Maii 2001), *Ench. Vat.* 20, n. 733-1150.

stantiores orbis linguae adsunt, sed etiam altiore quodam sensu: in ea multiplices species Dei mundique experientiae, culturarum divitiae adsunt, atque hoc modo tantum humanae experientiae amplitudo apparet et, ab ea sumpto initio, Dei Verbi latitudo».<sup>12</sup> Experiri porro Pentecosten adhuc itinerantem etiam potuimus. Etenim varii populi adhuc expectant ut Dei Verbum propria lingua ac propria cultura nuntietur.

Quidni memoremus quod per totum Synodi tempus nos Pauli apostoli comitata est testificatio. Provide enim accidit quod XII Coetus Generalis Ordinarius actus est intra ipsum annum, praestanti illi gentium Apostoli dicatum, duobus milibus ab eiusdem ortu transactis annis. Eius vita penitus Dei Verbo studiose diffundendo tradita est. Quidni nostro in corde ardentia illius verba sentiamus, quae ad eius missionem attinent divini Verbi nuntiandi: «Omnia autem facio propter evangelium» (1 Cor 9,23). «Non enim – scribit in *Epistula ad Romanos* – erubesco evangelium: virtus enim Dei est in salutem omni credenti» (1,16). Cum de Dei Verbo in vita et missione Ecclesiae cogitamus, facere non possumus quin de sancto Paulo et de eius vita cogitemus, quam Christi saluti nuntiandae cunctis gentibus impendit.

#### *Ioannis Evangelii Prologus ut ductor*

5. Hanc per Adhortationem apostolicam exoptamus ut Synodi monita efficaciter Ecclesiae vitam afficiant: personalem cum sacris Scripturis necessitudinem, in Liturgia et catechesi interpretationem perinde ac scientificam inquisitionem, ut Biblia praeteriti temporis non sint verba, sed viva et huius aetatis verba. Hac de causa ostendere et altius ponderare Synodi exitus volumus, usque nos convertentes ad *Ioannis Evangelii Prologum* (Io 1,1-18), in quo nostrae vitae fundamentum communicatur: Verbum, quod in principio erat apud Deum, caro factum est et

<sup>12</sup> Cfr BENEDICTUS XVI, *Allocutio ad Romanam Curiam* (22 Decembris 2008): *AAS* 101 (2009), 50.



habitavit in nobis (cfr *Io* 1,14). De mirabili quodam textu agitur, qui summatim totam christianam fidem praebet. Ex personali experientia occursum et sequelae Christi, Ioannes, quem traditio significat eundem esse discipulum «quem diligebat Iesus» (*Io* 23,23; 20,2; 21,7.20), intimam certitudinem exprompsit: Iesus est Dei Sapientia caro facta, eius est Verbum aeternum homo mortalis factum.<sup>13</sup> Is qui «vidit et credidit» (*Io* 20,8) nos quoque adiuvet ut recumbamus supra pectus Iesu (cfr *Io* 13,25), ex quo «exivit sanguis et aqua» (*Io* 19,34), figurae Sacramentorum Ecclesiae. Ioannis Apostoli ceterorumque inspiratorum scriptorum sectantes exempla, sinamus ut Spiritus Sanctus nos dirigat *ad magis magisque Dei Verbum diligendum*.

<sup>13</sup> Cfr BENEDICTUS XVI, *Angelus* (4 Ianuarii 2009): *Insegnamenti* V, 1 (2009), 13.



PARS PRIMA

*VERBUM DEI*

*«In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum,  
et Deus erat Verbum... et Verbum caro factum est» (Io 1,1.14)*



## DEUS QUI LOQUITUR

### *Dialogi Deus*

6. Biblicae revelationis novitas in eo est quod Deus in dialogo cognoscitur quem nobiscum constituere vult.<sup>14</sup> Constitutio dogmatica *Dei Verbum* hanc realitatem iam ostendit: «Deus invisibilis ex abundantia caritatis suae homines tamquam amicos alloquitur et cum eis conversatur, ut eos ad societatem secum invitet in eamque suscipiat».<sup>15</sup> Sed sancti Ioannis Prologi nuntium adhuc plane non perciperemus, si solummodo intellegeremus Deum nobiscum amabiliter communicari. Reapse Dei Verbum, per quod omnia facta sunt (cfr *Io* 1,3) quodque «caro factum est» (*Io* 1,14), idem est quod «in principio» est (*Io* 1,1). Si quidem hic indicium videmus, quod ad Genesis librum refertur (cfr *Gn* 1,1), quodam reapse coram *principio* sumus absolutae naturae, quod intimam Dei vitam nobis narrat. Ioannis Prologus illud nobis demonstrat quod *Logos semper* existit, atque semper *ipse est Deus*. Itaque numquam fuit tempus apud Deum quo non fuit *Logos*. Ante creationem est Verbum. Itaque in vitae divinae corde est communio, est absolutum donum. «Deus caritas est» (*1 Io* 4,16), hoc dicit alibi idem Apostolus, dum per hoc indicat «christianam Dei imaginem atque etiam congruentem hominis imaginem eiusque itineris».<sup>16</sup> Deus efficit ut nos se tamquam infiniti amoris mysterium cognoscamus, quo Pater ex aeternitate in Spiritu Sancto suum Verbum exprimit. Quapropter Verbum,

<sup>14</sup> Cfr *Relatio ante disceputationem*, I.

<sup>15</sup> CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de divina Revelatione *Dei Verbum*, 2.

<sup>16</sup> BENEDICTUS XVI, Litt. enc. *Deus caritas est* (25 Decembris 2005), 1: *AAS* 98 (2006), 217-218.

quod in principio est apud Deum et est Deus, ipsum Deum nobis in amoris dialogo inter divinas Personas ostendit atque nos invitat ut idem communicemus. Itaque, ad imaginem et similitudinem Dei amoris facti, solummodo in Verbo accipiendo et Spiritus Sancti operae obsequendo nos ipsos intellegere possumus. Per ipsum revelationis lumen, quam divinum Verbum est operatum, humanae condicionis aenigma explicatur.

### *Dei Verbi analogia*

7. Ex his animadversionibus, quae ex christiani mysterii meditatione oriuntur, in Ioannis Prologo significati, necesse est nunc ut id collustretur quod synodales Patres edixerunt de diversis rationibus, quibus vocabulis « Verbum Dei » utimur. Merito quidem de Verbi concentu dictum est, de uno Verbo, quod diversimode exprimitur: « multisonus concentus ».<sup>17</sup> Patres synodales hac de re locuti sunt de analogico usu humanae loquelae, Dei Verbo relatae. Haec revera sententia, cum ad communicationem attinet quam de se ipso efficit Deus, tum diversas significationes induit, quae perspicue sunt considerandae et inter eas necessitudines, sive theologica inquisitione perspecta, sive pastorali usu. Quemadmodum plane Ioannis Prologus demonstrat, *Logos Verbum aeternum primitus significat, scilicet Filium unigenitum, a Patre generatum ante omnia saecula ipsique consubstantialem: Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum*. Sed hoc idem Verbum, asserit sanctus Ioannes, « caro factum est » (*Io 1,14*); idcirco Iesus Christus, ex Maria Virgine natus, realiter Dei Verbum est, consubstantialis nobis factus. Itaque illud « Dei Verbum » Iesu Christi hic indicat personam, aeterni Patris Filii, qui homo factus est.

Praeterea, si in divina revelatione praecipuum obtinet locum Christi eventus, agnoscatur etiam oportet ipsam creatio-

<sup>17</sup> *Instrumentum laboris*, 9.

nem, *naturae librum*, essentialiter hunc plurium vocum concentum communicare, in quo unum Verbum exprimitur. Eodem modo confitemur suum Verbum in salutis historia communicasse Deum, effecisse ut sua vox audiretur; qui per sui Spiritus vim «locutus est per prophetas». <sup>18</sup> Divinum ideo Verbum per totam salutis historiam exprimitur et in incarnationis, mortis et resurrectionis Filii Dei mysterio suam reperit plenitudinem. Rursus, Dei Verbum illud est quod Apostoli praedicarunt, Iesu Resuscitati mandatum tenentes: «Euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae» (*Mc 16,15*). Quapropter Dei Verbum in vivam Ecclesiae Traditionem transmittitur. Postremo, Dei Verbum testimonio confirmatum atque divinitus inspiratum sacra Scriptura est, Vetus et Novum Testamentum. Haec omnia efficiunt ut intellegamus cur in Ecclesia magnopere sacras Scripturas veneremur, quamvis fides christiana «Libri religio» non sit: christianismus «religio Verbi Dei» est, non sane alicuius verbi scripti mutique, sed Verbi incarnati atque viventis. <sup>19</sup> Itaque sacra Scriptura est proclamanda, auscultanda, legenda, recipienda atque vivenda veluti Dei Verbum, secundum apostolicam Traditionem ex qua seiungi non potest. <sup>20</sup>

Sicut synodales Patres asseverarunt, revera de analogico usu sententiae «Dei Verbi» agitur, qua de re consciis oportet. Fideles itaque magis sint instituendi, ut diversas eius significationes percipiant et unitatis sensum intellegant. Etiam quod ad theologicum adspectum attinet, necesse est ut altius inquirantur rationes diversarum significationum huius sententiae, quo divini consilii unitas atque Christi personae principalitas liquidius splendeant. <sup>21</sup>

<sup>18</sup> *Symbolum Nicaenum-Constantinopolitanum: DS 150.*

<sup>19</sup> Cfr S. BERNARDUS CLARAVALLENSIS, *Homilia super Missus est*, IV,11: *PL 183, 86 B.*

<sup>20</sup> Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de divina Revelatione *Dei Verbum*, 10.

<sup>21</sup> Cfr *Propositio 3.*

8. De Verbi Dei praecipua significatione conscii, quae ad aeternum Dei Verbum incarnatum, unum salvatorem et inter Deum hominesque mediatorem, attinet,<sup>22</sup> itemque Verbum hoc auscultantes, biblica revelatione illuc perducimur ut agnoscamus id omnium rerum esse fundamentum. Sancti Ioannis Prologus asseverat, quod ad divinum *Logon* attinet. «Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est» (*Io* 1,3); in *Epistula* quoque *ad Colossenses* de Christo asseritur, qui est «primogenitus omnis creaturae» (1,15), atque «in ipso condita sunt universa in caelis et in terra» (1,16). Atque auctor quoque *Epistulae ad Hebraeos* memorat: «Fide intellegimus aptata esse saecula verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia facta sint» (11,3).

Nuntius hic liberans est nobis verbum. Etenim sacrae Scripturae sententiae demonstrant omnia quae sunt non casu ac sine ratione oriri, sed ex Dei voluntate manare, intra ipsius consilium esse, cuius medium locum oblatio obtinet vitae divinae Christi participandae. *Logos* efficit creatum, quod indelebiter fert vestigium *Rationis creatricis quae ordinat et dirigit*. Laeta hac de certitudine psalmi canunt: «Verbo Dei caeli facti sunt, et spiritu oris eius omnis virtus eorum» (*Ps* 33,6); rursus: «Ipse dixit, et facta sunt, ipse mandavit, et creata sunt» (*Ps* 33,9). Universa realitas hoc mysterium exprimit: «Caeli enarrant gloriam Dei, et opera manuum eius annuntiat firmamentum» (*Ps* 19,2). Idcirco ipsa sacra Scriptura nos suadet ut Creatorem, creatum spectantes, cognoscamus (cfr *Sap* 13,5; *Rom* 1,19-20). Traditio christianae doctrinae hoc concentus Verbi praecipuum elementum altius est scrutata, cum exempli gratia, sanctus Bonaventura, qui una cum praeclara Patrum Graecorum traditione intellegit

<sup>22</sup> Cfr CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDELI, Declaratio de Iesu Christi atque Ecclesiae unicitate et universalitate salvifica *Dominus Iesus* (6 Augusti 2000), 13-15: *AAS* 92 (2000), 754-756.



omnia quae creari possunt ad *Logon* attinere,<sup>23</sup> asseverat: «Omnis enim creatura verbum Dei est, quoniam Deum proclamat».<sup>24</sup> Constitutio dogmatica *Dei Verbum* summatim hanc rem enuntiaverat, cum ediceret: «Deus, per Verbum omnia creans (cfr *Io* 1,3) et conservans, in rebus creatis perenne sui testimonium hominibus praebet».<sup>25</sup>

### *Hominis creatio*

9. Realitas demum ex Verbo oritur, veluti *creatura Verbi* et omnia ad Verbo serviendum vocantur. Creatio enim est locus in quo omnis amoris inter Deum et creaturam historia enodatur; itaque hominis salus est omnium rerum impulsio. Universum in salutis historiae prospectu contemplantis, ad detegendum unicum singularemque locum impellimur, quem in creatione detinet homo: «Creavit Deus hominem ad imaginem suam; ad imaginem Dei creavit illum; masculum et feminam creavit eos» (*Gn* 1,27). Sinit istud ut pretiosa dona, a Creatore accepta, plane agnoscamus, quae sunt corporis dignitas, rationis, libertatis conscientiaeque donum. Hac in re illud etiam reperimus quod philosophica traditio «legem naturalem» appellat.<sup>26</sup> Revera «omnis homo qui ad conscientiam et responsalitatem accedit, interiori quamdam vocationem ad bonum patrandum experitur»<sup>27</sup> ideoque ad malum vitandum. Ut sanctus Thomas Aquinas memorat, hoc principio cetera omnia naturalis legis praecepta fundantur.<sup>28</sup>

<sup>23</sup> Cfr *In Hexaemeron*, XX,5: Opera Omnia, V, Quaracchi 1891, p. 425-426; *Breviloquium*, I,8: Opera Omnia, V, Quaracchi 1891, p. 216-217.

<sup>24</sup> *Itinerarium mentis in Deum*, II, 12: Opera Omnia, V, Quaracchi 1891, p. 302-303; cfr *Commentarius in librum Ecclesiastes*, Cap. I, vers. 11; *Quaestiones*, II,3: Opera Omnia, VI, Quaracchi 1891, p. 16.

<sup>25</sup> CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de divina Revelatione *Dei Verbum*, 3; cfr CONC. OECUM. VAT. I, Cons. dogm. de fide catholica *Dei Filius*, cap. 2, De revelatione: DS 3004.

<sup>26</sup> Cfr *Propositio* 13.

<sup>27</sup> COMMISSIO THEOLOGICA INTERNATIONALIS, *Alla ricerca di un'etica universale: nuovo sguardo sulla legge naturale*, Città del Vaticano 2009, n. 39.

<sup>28</sup> Cfr *Summa Theologiae*, Ia-IIae, q. 94, a. 2.

Verbum auscultatum nos potissimum inducit ut necessitatem aestimemus vivendi secundum hoc praeceptum «scriptum in cordibus» (cfr *Rom* 2,15; 7,23).<sup>29</sup> Iesus Christus porro hominibus novam Legem fert, Evangelii Legem, quae sumit et insigniter naturalem legem efficit, dum a peccati lege nos vindicat, cuius causa, sicut asserit sanctus Paulus, «velle adiacet mihi, operari autem bonum, non!» (*Rom* 7,18), et dat hominibus, ope gratiae, ut vitam divinam participant et nimium sui amorem superent.<sup>30</sup>

### *Verbi realismus*

10. Qui divinum Verbum novit, is plene omnium creaturarum novit etiam significationem. Etenim si omnia «constant» in Eo qui est «ante omnia» (cfr *Col* 1,17), tunc qui propriam suam vitam in Eius Verbo fundat, is prorsus in modo solido et mansuro aedificat. Dei Verbum revera nos impellit ut realismi sensum immutemus: realista est qui in Dei Verbo omnium rerum fundamentum agnoscit.<sup>31</sup> Hac re peculiarem in modum hodiernis temporibus nos indigemus, cum complura, quibus vitam nostram committimus aedificandam, quibus allicimur ut in iis nostram spem locemus, suam fluxam indolem demonstrant. Possessio, voluptas, dominatio serius ocus inhabiles ad altiores cordis hominis appetitiones adimplendas deprehenduntur. Ipse enim, ut suam vitam aedificet, firmis fundamentis indiget, mansuris etiam cum humanae certitudines deficiunt. Revera, quoniam «in aeternum, Domine, verbum tuum constitutum est in caelo» atque fidelitas Domini manet «in generationem et generationem» (*Ps* 119, 89-90), qui in hoc Verbo construit, suae vitae domum su-

<sup>29</sup> Cfr PONTIFICIA COMMISSIO BIBLICA, *Bibbia e morale. Radici bibliche dell'agire cristiano* (11 Maii 2008), Città del Vaticano 2008, n. 13, 32, 109.

<sup>30</sup> COMMISSIO THEOLOGICA INTERNATIONALIS, *Alla ricerca di un'etica universale: nuovo sguardo sulla legge naturale*, Città del Vaticano 2009, n. 102.

<sup>31</sup> BENEDICTUS XVI, *Homilia ad celebrationem Horae Tertiae, prima ineunte Generali Congregatione Synodi Episcoporum* (6 Octobris 2008): AAS 100 (2008), 758-761.

pra petram aedificat (cfr *Mt* 7,24). Cor nostrum cotidie Deo dicat: «Tegmen et scutum meum es tu, et in verbum tuum supersperavi» (*Ps* 119,114) et sicut sanctus Petrus cotidie agere possumus, Domino Iesu fisi: «In verbo autem tuo laxabo retia» (*Lc* 5,5).

### *Christologia Verbi*

11. Hanc realitatem, veluti sanctissimae Trinitatis operam, spectantes, per divinum Verbum intellegere possumus auctoris *Epistulae ad Hebraeos* verba: «Multifariam et multis modis olim Deus locutus patribus in prophetis, in novissimis his diebus locutus est nobis in Filio, quem constituit heredem universorum, per quem fecit et saecula» (1,1-2). Perpulchrum quidem est perspicere quo pacto iam totum Vetus Testamentum nobis occurrat veluti historia in qua Deus suum per Verbum communicat: «Foedere enim cum Abraham (cfr *Gn* 25,18) et cum plebe Israel per Moysen (cfr *Ex* 24,8) inito, populo sibi acquisito ita Se tamquam unicum Deum verum et vivum verbis ac gestis revelavit, ut Israel, quae divinae essent cum hominibus viae experiretur, easque, ipso Deo per os prophetarum loquente, penitus et clarius in dies intellegeret atque latius in gentes exhiberet (cfr *Ps* 21,28-29; 95,1-3; *Is* 2,1-4; *Ier* 3-17)».<sup>32</sup>

Obsequentia haec Dei in Verbi incarnatione singulariter completur. Verbum aeternum quod in creatione exprimitur quodque in salutis historia communicatur in Christo factum est homo, «factum ex muliere» (*Gal* 4,4). Ante omnia non exprimitur hic sermone, opinionationibus regulisque Verbum. Hic coram ipsa Iesu persona sumus. Eius una singularisque historia est Verbum definitivum quod humanitati dicit Deus. Hinc intellegitur: «Ad initium, cum quis christianus fit, nulla est ethica voluntas neque magna quaedam opinio, verumtamen congressio datur cum eventu quodam, cum Persona quae novum vitae finem imponit

<sup>32</sup> CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de divina Revelatione *Dei Verbum*, 14.

eodemque tempore certam progressionem». <sup>33</sup> Cum congressio haec et conscientia renovantur, in fidelium cordibus stupor generatur propter divinam actionem, quam homo suis rationalibus facultatibus suaque inventionem numquam cogitare potuisset. De inaudita novitate agitur, quae humana ratione intellegi non potest: «Verbum caro factum est et habitavit in nobis» (*Io* 1,14a). Haec verba figuram quandam rhetoricam haud indicant, sed experientiam effectam! Haec dicit sanctus Ioannes, testis et spectator: «Vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis» (*Io* 1,14b). Apostolica fides testatur Verbum aeternum unum ex nobis factum esse. *Divinum Verbum* revera *humanis verbis* exprimitur.

12. Patrum traditio et mediaevalis, cum hanc «Christologiam Verbi» contemplaretur, blandam quandam sententiam usurpavit: *Verbum brevians factum*:<sup>34</sup> «Ecclesiae Patres, sua in Graeca Veteris Testamenti versione, verbum invenerunt Isaiae prophetae, quod sanctus Paulus etiam adfert, ut commonstrarent quo pacto novae Dei semitae in Vetere Testamento iam essent praenuntiatae. Ibi legebatur: consummationem enim et abbreviationem Dominus Deus exercituum faciet (cfr *Rom* 9,28). Filius ipse est Verbum, est *Logos*: Verbum aeternum parvum est factum – ita sane parvum, ut in praesepio contineretur. Puer factum est, ut Verbum comprehendere possemus». <sup>35</sup> Verbum nunc non modo audiri potest, non modo *vocem* habet, nunc Verbum *vultum* habet, quem nos videre possumus: Iesum Nazarenum.<sup>36</sup>

Evangelii narrationem sequentes, animadvertimus quemadmodum ipsa Iesu humanitas penitus singularis manifestetur,

<sup>33</sup> BENEDICTUS XVI, Litt. enc. *Deus caritas est* (25 Decembris 2005), 1: *AAS* 98 (2006), 217-218.

<sup>34</sup> «*Ho Logos pachynetai* (vel *brachynetai*)». Cfr ORIGENES, *Peri Archon*, I, 2, 8: *SC* 252, 127-129.

<sup>35</sup> BENEDICTUS XVI, *Homilia in sollemnitate Nativitatis Domini* (24 Decembris 2006): *AAS* 99 (2007), 12.

<sup>36</sup> Cfr *Nuntius conclusivus*, II,4-6.

ipso Dei Verbo considerato. Is enim sua in perfecta humanitate Patris singulis momentis voluntatem efficit; Iesus eius vocem audit, cui per totum se ipsum paret; is Patrem novit eiusque verbum servat (cfr *Io* 8,55), Patris res nobis narrat (*Io* 12,50); «Verba, quae mihi dedisti, dedi eis» (*Io* 17,8). Itaque Iesus ostendit se esse *Logon* divinum, qui se nobis tradit, sed novum quoque Adam, verum hominem, qui singulis momentis non suam sed Patris voluntatem adimplet. Ipse «proficiebat sapientia et aetate et gratia apud Deum et homines» (*Lc* 2,52). Summopere divinum Verbum audit, quod in se efficit quodque nobiscum communicat (cfr *Lc* 5,1).

Iesu tandem missio in Paschali Mysterio completur: hic coram «Verbo crucis» (cfr *I Cor* 1,18) ponimur. Verbum conticescit, mortale fit silentium, quandoquidem «dictum» est usque ad tacendum, nihil quidem reticens quod nobiscum communicare debebat. Mirabiliter Ecclesiae Patres, hoc mysterium contemplant, Deiparae in labris hanc sententiam ponunt: «Sine verbo est Patris Verbum, quod omnem creaturam loquentem fecit; sine vita sunt oculi extincti illius, cuius verbo nutuque omnia viventia moventur».<sup>37</sup> Hic revera «maior» amor nobis participatur, is qui pro amicis suis animam ponit (cfr *Io* 15,13).

Hoc in magno mysterio Iesus manifestatur ut *Verbum Novi Aeternique Foederis*: Dei libertas et libertas hominis in eius carnem cruci affixam consummate convenerunt, foedere inito indissolubili, in perpetuum valituro. Ipse Iesus in novissima cena, sacram Eucharistiam instituens, de «Novo Aeternoque Testamento», per suum sanguinem effusum icto locutus erat (cfr *Mt* 26,28; *Mc* 14,24; *Lc* 22,20), se ostendens ut verum Agnum immolatum, in quo consummatur et completur a servitute liberatio.<sup>38</sup>

<sup>37</sup> MAXIMUS CONFESSOR, *Vita Mariae*, n. 89: *Testi mariani del primo millennio*, 2, Roma 1989, p. 253.

<sup>38</sup> Cfr BENEDICTUS XVI, Adhort. ap. postsynodalis *Sacramentum caritatis* (22 Februarii 2007), 9-10: *AAS* 99 (2007), 111-112.

In fulgidissimo resurrectionis mysterio silentium hoc Verbi suo in sensu germano et consummato manifestatur. Christus, Dei Verbum incarnatum, cruci affixum et resuscitatum, omnium rerum est Dominus; ipse est Victor, *Pantocrator* et omnia in perpetuum sunt in eo recapitulata (cfr *Eph* 1,10). Christus igitur est «lux mundi» (*Io* 8,12), lux illa quae «in tenebris lucet» (*Io* 1,5) quamque tenebrae non vicerunt (cfr *Io* 1,5). Hic penitus *Psalmi* 119 sensum intellegimus: «Lucerna pedibus meis verbum tuum et lumen semitis meis» (v. 105): Verbum quod resurgit haec est lux definitiva nostra in via. Inde ab initio christiani sibi conscii fuerunt Dei Verbum in Christo ut Personam adesse. Dei Verbum est lux vera, qua indiget homo. Sane quidem, in resurrectione Dei Filius ortus est ut lux mundi. Nunc cum Ipso et per Ipsum viventes, in luce vivere possumus.

13. Quando, ut ita dicamus, ad «Christologiae Verbi» cor venimus, magni momenti est consilii divini in Verbo incarnato unitatem extollere: quapropter Novum Testamentum Mysterium Paschale nobis praebet cum sacris Scripturis coniunctum, sicut earum intimam consummationem. Sanctus Paulus in *Epistula I ad Corinthios* asserit Christum pro peccatis nostris mortuum esse «secundum Scripturas» (15,3) et tertia die esse suscitatum «secundum Scripturas» (15,4). Hac re Apostolus Domini mortis resurrectionisque eventum cum Veteris inter Deum eiusque populum Foederis historia confert. Immo nobis patefacit ab ipso hanc historiam suam rationem veramque significationem recipere. In Mysterio Paschali implentur «Scripturae verba, id est, haec mors, *secundum Scripturas* effecta, est eventus qui *logon* secum fert, videlicet rationem quandam: Christi mors testatur Dei Verbum funditus “carnem”, “historiam” humanam factum esse». <sup>39</sup> Iesu quoque resurrectio «tertia die secundum Scripturas» fit: quoniam ad Iudaicam mentem post tertium diem inci-

<sup>39</sup> BENEDICTUS XVI, *Audientia Generalis* (15 Aprilis 2009): *L'Osservatore Romano*, 16 Aprilis 2009, p. 1.

piebat corruptio, Scripturarum verbum in Iesu adimpletur, qui resurgit antequam incipiat corruptio. Hoc modo sanctus Paulus, fideliter tradens Apostolorum doctrinam (cfr *1 Cor 15,3*), palam asserit Christi ex morte victoriam per creatricem Verbi Dei potentiam evenire. Potentia haec divina spem laetitiamque affert: haec est tandem liberans summa paschalis revelationis. In Pascha se ipse et Amoris trinitarii potentiam revelat Deus, qui detrices mali mortisque vires tollit.

Elementa haec nostrae fidei essentialia in memoriam revocantes, artam unitatem inter creationem ac novam creationem necnon totam historiam Christi salutis contemplari possumus. Imaginem quandam adhibentes, universum «libro» aequare possumus – sic etiam Galilaeus Galilaei asserere solebat – cum consideraret «opus alicuius Auctoris, qui creati “symphonia” se exprimit. Hanc intra symphoniam aliquo momento id invenitur quod musicae loquela “sincinium” vocatur, pars scilicet quaedam singulo instrumento vel uni voci demandata; id tale habet pondus, ut ex eo totius operis pendeat significatio. Hoc “absolutum” est Iesus... Filius hominis in se terram caelumque, creatum Creatoremque, carnem Spiritumque complectitur. Centrum est ipse universi et historiae, quandoquidem in Eo coniunguntur sine confusione Auctor eiusque opus». <sup>40</sup>

#### *Dei Verbi eschatologica ratio*

14. His rebus conscientiam patefacit Ecclesia cum Christo Iesu se coram definitivo Dei Verbo esse; ipse est «Primus et Novissimus» (*Apc 1,17*). Ipse definitivum creationi et historiae sensum praebuit; hac de re ad tempus vivendum vocamur necnon ad Dei creationem habitandam intra hunc Verbi eschatologicum numerum; «oeconomia ergo christiana, utpote foedus novum et definitivum numquam praeteribit, et nulla iam nova Revelatio

<sup>40</sup> ID. *Homilia in sollemnitate Epiphaniae Domini* (6 Ianuarii 2009): *L'Osservatore Romano*, 7-8 Ianuarii 2009, p. 8.

publica exspectanda est ante gloriosam manifestationem Domini nostri Iesu Christi (cfr *1 Tim 6,14* et *Tit 2,13*)». <sup>41</sup> Etenim, ut Synodi tempore memoraverunt Patres, «christianae religionis peculiare quiddam se manifestum exhibet in Iesu Christo, qui simul est eventus, revelationis culmen, promissionum Dei impletio, mediator hominis cum Deo in congressum venientis. Ille, qui nobis Deum enarravit (cfr *Io 1,18*), Verbum est unicum et definitivum hominibus traditum». <sup>42</sup> Sanctus Ioannes a Cruce mirabiliter hanc veritatem ostendit: «Dando quippe nobis, sicut dedit, Filium suum, qui est unicum solumque ipsius Verbum, omnia nobis simul unaque vice hoc suo unico Verbo locutus est et revelavit, neque illi quidquam dicendum manet ... Id enim quod antea per partes loquebatur prophetis, iam nobis totum in ipso dixit, ipsum nobis totum dando, id est, Filium suum. Quamobrem ille qui nunc vellet aliquid a Deo seiscitari, vel visionem aliquam aut revelationem ab eo postulare, non modo stultitiam faceret, iniuriam Deo inferret, non defigendo omnino suos oculos in Christum, vel aliam rem aut novitatem extra illum requirendo». <sup>43</sup>

Quapropter Synodus suasit «ut fidelibus auxilia suppeditentur idonea, quibus Verbum Dei a privatis revelationibus probe discernant», <sup>44</sup> quarum munus ... non est «complere» definitivam Christi Revelationem, «sed adiutorium praebere ut ipsa, in quadam historiae periodo, plenius deducatur in vitam». <sup>45</sup> Revelationum privatarum vis omnino secus est ac publica revelatio: haec nostram fidem requirit; in ea enim per verba humana atque communitatis Ecclesiae viventis ope nobis loquitur ipse Deus. Iudicium verumtamen veritatis cuiusdam privatae revelationis est eius ad Christum ipsum directio. Cum ea ab ipso dissidet, tunc certe a Spiritu Sancto haud manat, qui intra et non extra Evan-

<sup>41</sup> CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de divina Revelatione *Dei Verbum*, 4.

<sup>42</sup> *Propositio 4*.

<sup>43</sup> S. IOANNES A CRUCE, *De Ascensu Montis Carmeli*, II, 22.

<sup>44</sup> *Propositio 47*.

<sup>45</sup> *Catechismus Catholicae Ecclesiae*, 67.



gelium nos dirigit. Privata revelatio hanc fidem adiuvat atque credibilis conspicitur, eo quod ad unam publicam revelationem remittit. Quocirca ecclesiastica privatae revelationis comprobatio essentialiter demonstrat eiusdem nuntium nihil continere quod a fide probisque moribus dissideat; licet eundem evulgare, atque fideles sinuntur eidem prudenter adhaerere. Privata revelatio quaedam nova extollere, novas pietatis formas excitare antiquasve altius comprobare potest. Quandam ipsa prophetica naturam prae se ferre potest (cfr *1 Thess 5,19-21*) atque validum auxilium ad intellegendum servandumque melius Evangelium hodiernis temporibus afferre potest; ideo non est neglegendum. Oblatum est subsidium quoddam, quod autem adhiberi necessario non debet. Quidquid est agitur de fidei, spei caritatisque pabulo, quae omnibus sunt ad salutem permanens via.<sup>46</sup>

### *Dei Verbum et Spiritus Sanctus*

15. Postquam Verbum tractavimus postremum et definitivum Dei orbi terrarum transmissum, oportet Spiritus Sancti missio memoretur quae ad divinum Verbum attinet. Etenim nullus datur authenticus revelationis christianae intellectus, haud agente Paraclito. Hoc ex eo pendet quod communicatio, quam de se ipso facit Deus, semper necessitudinem inter Filium et Spiritum Sanctum secum fert, quam enim Irenaeus Lugdunensis appellat «duas manus Patris».<sup>47</sup> Ceterum sacra Scriptura ipsa de Spiritu Sancti praesentia in historia salutis nominatimque in Iesu vita nos docet, qui a Virgine Maria de Spiritu Sancto conceptus est (cfr *Mt 1,18; Lc 1,35*); suam incipiens publicam missionem, apud Iordanis ripas, columbae specie in se descendentem eum videt (*Mt 3,16*); in ipso hoc Spiritu Iesus agit, loquitur et exsultat

<sup>46</sup> Cfr CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDELI, *Il messaggio di Fatima* (26 Iunii 2000): *Ench. Vat.* 19, n. 974-1021.

<sup>47</sup> *Adversus haereses*, IV, 7, 4: *PG 7*, 992-993; V, 1, 3: *PG 7*, 1123; V, 6, 1: *PG 7*, 1137; V, 28, 4: *PG 7*, 1200.

(cfr *Lc* 10,21); et in Spiritu se ipsum offert (cfr *Heb* 9,14). Ad finem suam missionem adducens, secundum Evangelistae Ioannis narrationem, ipse Iesus arte suae vitae donum cum Spiritu suis misso conligat (cfr *Io* 16,7). Iesus porro resuscitatus, sua in carne passionis signa ferens, Spiritum effundit (cfr *Io* 20,22), suam ipsius missionem cum discipulis communicans (cfr *Io* 20,21). Spiritus Sanctus ipse discipulos omnia docebit et suggeret eis omnia quae Christus dixit (cfr *Io* 14,26), quia erit Ipse Spiritus Veritatis (cfr *Io* 15,26), et deducet discipulos in omnem veritatem (cfr *Io* 16,13). Demum, quemadmodum legitur in *Actibus Apostolorum*, Spiritus descendit in Duodecim in oratione cum Maria Pentecostes die coadunatos (cfr 2,1-4), eosdemque ad cunctis gentibus Bonum Nuntium proclamandum concitat.<sup>48</sup>

Dei Verbum itaque Spiritus Sancti ope per humana verba exprimitur. Filii aequae ac Spiritus Sancti missio seiungi non potest et unam salutis oeconomiam efficit. Ipse Spiritus, qui in Verbi incarnatione in Virginis Mariae gremio agit, idem est qui Iesum per totam eius missionem dirigit quique discipulis promittitur. Idem Spiritus, qui locutus est per prophetas, Ecclesiam sustinet et commovet, munus sustinentem Verbum Dei nuntiandi et in praedicatione Apostolorum; hic est tandem Spiritus qui sacram Scripturarum auctores inspirat.

16. Hoc de pneumatologico ambitu conscii, Patres synodales prae se ferre voluerunt Spiritus Sancti pondus in Ecclesiae vita et in fidelium cordibus agentis, quod ad sacram Scripturam attinet;<sup>49</sup> efficaci utique absque actione « Spiritus veritatis » (*Io* 14,17) Domini verba non intelleguntur. Quemadmodum etiam memorat sanctus Irenaeus: « Quapropter qui non participant eum, neque a mammillis matris nutriuntur in vita, neque percipiunt de corpore Christi procedentem nitidissimum fon-

<sup>48</sup> Cfr BENEDICTUS XVI, Adhort. ap. postsynodalis *Sacramentum caritatis* (22 Februarii 2007), 12: *AAS* 99 (2007), 113-114.

<sup>49</sup> Cfr *Propositio* 5.

tem». <sup>50</sup> Ut in Christi corpore ad nos venit Dei Verbum, in corpore eucharistico et Scripturarum corpore ope Spiritus Sancti, sic per Spiritum Sanctum id accipi et vere intellegi potest.

Praestantes christianae traditionis scriptores unanimiter Spiritus Sancti munus perpendunt, necessitudine credentium cum Scripturis considerata. Sanctus Ioannes Chrysostomus asserit: «Neque opus habet divina scriptura hominum sapientia ut intelligatur, sed revelatione Spiritus, ut hausto inde vero sensu, magnum nobis hinc lucrum accrescat». <sup>51</sup> Etiam sanctus Hieronymus firmiter sibi conscius est cur «in intellegenda ea Spiritus Sancti indigeamus auxilio, qui per Apostolum haec ipsa dictavit». <sup>52</sup> Sanctus Gregorius Magnus porro eiusdem Spiritus Sancti operam in efformanda et interpretanda Biblia animose effert: «Sanctorum testamentorum dicta ipse creavit et ipse aperuit». <sup>53</sup> Richardus a Sancto Victore animadvertit «columbarum oculis», a Spiritu illuminatis institutisque, opus esse, ut sacer textus intellegatur. <sup>54</sup>

Confirmare volumus quam clara sit testificatio, quam de necessitudine inter Spiritum Sanctum et Scripturam in liturgicis textibus reperimus, ubi Dei Verbum fidelibus proclamatur, auscultatur et explicatur. Id in antiquis orationibus occurrit, quae epiclesis sub specie Spiritum ante lectionum proclamationem invocant: «Mitte Spiritum Sanctum in mentem nostram, et largire nobis discere Scripturas divinas a Spiritu Sancto easque interpretari pure et digne, ut fructum capiant populi praesentes omnes». Eodem modo, orationes reperimus, quae homilia absoluta, rursus Deum invocant, ut fidelibus Spiritum det Deus:

<sup>50</sup> *Adversus haereses*, III, 24, 1: PG 7, 966.

<sup>51</sup> *Homiliae in Genesim*, XXII, 1: PG 53, 175.

<sup>52</sup> *Epistula* 120, 10: CSEL 55, 500-506.

<sup>53</sup> *Homiliae in Ezechielem*, I, VII, 17: CC 142, 94.

<sup>54</sup> «Oculi ergo devotae animae sunt columbarum quia sensus eius per Spiritum Sanctum sunt illuminati et edocti, spiritalia sapientes... Nunc quidem aperitur animae talis sensus, ut intellegat Scripturas»: RICHARDUS A SANCTO VICTORE, *Explicatio in Cantica canticorum*, 15: PL 196, 450 B. D.

«Deus salvator ... oramus te pro hoc populo: Spiritum Sanctum mitte et Dominus Iesus visitet, loquatur in mentibus omnium et praeparet corda ad fidem; ipse ad te trahat animas, Deus misericordiarum». <sup>55</sup> His ex omnibus rebus plane intellegere possumus cur Verbi sensus non comprehendatur, nisi Paracliti actio in Ecclesiae et in credentium cordibus recipiatur.

### *Traditio et Scriptura*

17. Inter Spiritum Sanctum et Dei Verbum rursus confirman-tes artum vinculum, fundamenta iecimus ad sensum pondusque intellegendum vivae Traditionis sacrarumque in Ecclesia Scrip-turarum. Etenim quoniam sic «dilexit Deus mundum, ut Filium suum unigenitum daret» (*Io 3,16*), divinum Verbum in tempore enuntiatum, Ecclesiae se definitive dedit et «tradidit», ita ut sa-lutis nuntius efficaciter omnibus temporibus et in omnibus locis communicaretur. Ut nobis memorat Constitutio dogmatica *Dei Verbum*, ipse Iesus Christus «mandatum dedit Apostolis ut Evan-gelium, quod promissum ante per Prophetas Ipse adimplevit et proprio ore promulgavit, tamquam fontem omnis et salutaris ve-ritatis et morum disciplinae omnibus praedicarent, eis dona di-vina communicantes. Quod quidem fideliter factum est, tum ab Apostolis, qui in praedicatione orali, exemplis et institutionibus ea tradiderunt quae sive ex ore, conversatione et operibus Chri-sti acceperant, sive a Spiritu Sancto suggerente didicerant, tum ab illis Apostolis virisque apostolicis, qui, sub inspiratione eius-dem Spiritus Sancti, nuntium salutis scriptis mandaverunt». <sup>56</sup>

Concilium Oecumenicum Vaticanum II commemorat por-ro quo pacto haec Traditio, ex Apostolis oriens, res sit viva et dynamica: «Haec quae est ab Apostolis traditio sub assistentia

<sup>55</sup> *Sacramentum Serapionis II (XX), Didascalia et Constitutiones apostolorum*, ed. F. X. FUNK, Paderbornae 1906, p. 161.

<sup>56</sup> CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de divina Revelatione *Dei Verbum*, 7.

Spiritus Sancti in Ecclesia proficit»; non ex eo quod in sua veritate mutatur, quae autem est perennis. «Crescit enim tam rerum quam verborum traditorum perceptio, tum ex contemplatione et studio», tum ex altiore spiritualium rerum intelligentia, «tum ex praeconio eorum qui cum episcopatus successione charisma veritatis certum acceperunt». <sup>57</sup>

Itaque viva Traditio essentialis est ut Ecclesia progrediente tempore adolescere possit, veritatem percipiens in Scripturis revelatam; etenim «per eandem Traditionem integer Sacrorum Librorum canon Ecclesiae innotescit, ipsaeque Sacrae Litterae in ea penitus intelliguntur et indesinenter actuosae redduntur». <sup>58</sup> Ad summam viva Ecclesiae Traditio efficit ut plene sacram Scripturam ut Dei Verbum intellegamus. Licet Dei Verbum sacram Scripturam praecedat et excedat, tamen, quippe quae a Deo inspirata sit, ipsa divinum Verbum (cfr *2 Tim 3,16*) «ratione specialissima» continet. <sup>59</sup>

18. His rebus innotescit quemadmodum magni sit momenti Dei Populum plane educari et institui, ut ad sacras Scripturas ex viva Ecclesiae Traditione accedat, in iis ipsum Dei Verbum agnoscens. Summi ponderis est efficere ut haec in fidelibus mens crescat, spiritali vita considerata. Hac de re iuvare potest similitudo, quam Ecclesiae Patres inter Verbum Dei quod «caro» fit et Verbum quod «liber» fit instituerunt. <sup>60</sup> Constitutio dogmatica *Dei Verbum* antiquam hanc traditionem recipit ad quam «Corpus eius traditiones sunt Scripturarum» – ut asserit sanctus Ambrosius <sup>61</sup> – atque autumat: «Dei enim verba, humanis linguis expressa, humano sermoni assimilia facta sunt, sicut olim Aeterni Patris Verbum, humanae infirmitatis assumpta carne, hominibus

<sup>57</sup> *Ibid.* 8.

<sup>58</sup> *Ibid.*

<sup>59</sup> Cfr *Propositio 3*.

<sup>60</sup> Cfr *Nuntius conclusivus*, II,5.

<sup>61</sup> *Expositio Evangelii secundum Lucam 6, 33: PL 15, 1677.*

simile factum est». <sup>62</sup> Sic intellecta sacra Scriptura, quamvis in suarum formarum et significationum multiplicitate, tamquam unitarium quiddam nobis ostenditur. Etenim «Deus unum solummodo Verbum dicit, Suum unicum Verbum in quo Ipse se totum exprimit (cfr *Heb* 1,1-3)», <sup>63</sup> sicut iam palam affirmaverat sanctus Augustinus: «Meminit caritas vestra, cum sit unus sermo Dei in Scripturis omnibus dilatatus, et per multa ora sanctorum unum Verbum sonet». <sup>64</sup>

Itaque Spiritus Sancti opera atque Magisterio duce, cunctis generationibus, quod in Christo revelatum est, transmittit Ecclesia. Plane sibi conscia est Ecclesia, suum Dominum, Qui olim locutus est, haud intermittere quin hodie suum Verbum in viva Ecclesiae Traditione et sacra Scriptura communicet. Verbum Dei enim in sacra Scriptura nobis se tradit, ut inspirata revelationis testificatione, quae una cum viva Ecclesiae Traditione supremam fidei regulam constituit. <sup>65</sup>

### *Sacra Scriptura, inspiratio et veritas*

19. Praecipua notio ad intellegendum sacrum textum ut Dei Verbum in humanis verbis, est procul dubio *inspiratio*. Hoc etiam in loco analogia quaedam induci potest: sicut Verbum Dei caro per Spiritum Sanctum in Virginis Mariae gremio factum est, ita ex Ecclesiae gremio per eundem Spiritum oritur sacra Scriptura. «Sacra Scriptura est locutio Dei quatenus divino afflante Spiritu scripto consignatur». <sup>66</sup> Hoc modo scriptoris humani agnoscitur praestantia qui inspiratos textus exaravit atque Deus pariter ipse ut verus auctor.

<sup>62</sup> CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de divina Revelatione *Dei Verbum*, 13.

<sup>63</sup> *Catechismus Catholicae Ecclesiae* 102. Cfr etiam RUPERTUS TUITIENSIS, *De operibus Spiritus Sancti*, I, 6: *SC* 131, 72-74.

<sup>64</sup> *Enarrationes in Psalmos*, 103, IV,1: *PL* 37, 1378. Similes affirmationes habet ORIGENES, *In Iohannem* V, 5-6: *SC* 120, p. 380-384.

<sup>65</sup> Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de divina Revelatione *Dei Verbum*, 21.

<sup>66</sup> *Ibid.*, 9.

Sicut edixerunt Patres synodales, lucide patet quam sit decretorium inspirationis argumentum ad Scripturas aequè conveniendas easdemque congrue interpretandas,<sup>67</sup> quod vero in eodem Spiritu effici debet in quo sunt scriptae.<sup>68</sup> Cum in nobis inspirationis conscientia imminuit, periculum est ne Scriptura veluti historici studii obiectum, non autem ut Spiritus Sancti opus, legatur, in qua ipsam Domini vocem audire eiusque in historia praesentiam cognoscere possumus.

Patres synodales praeterea merito extulerunt quemadmodum cum inspirationis argumento coniungatur etiam argumentum *veritatis Scripturarum*.<sup>69</sup> Hac de causa processus inspirationis altius investigatus procul dubio efficiet ut veritas in sacris libris contenta melius intellegatur. Ut de hoc argumento conciliaris doctrina asserit, inspirati libri veritatem docent: «Cum ergo omne id, quod auctores inspirati seu hagiographi asserunt, retineri debeat assertum a Spiritu Sancto, inde Scripturae libri veritatem, quam Deus nostrae salutis causa Litteris Sacris consignari voluit, firmiter, fideliter et sine errore docere profitendi sunt. Etenim “omnis Scriptura divinitus inspirata est et utilis ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus” (2 *Tim* 3,16-17 gr.)».<sup>70</sup>

Sine dubio theologica inquisitio inspirationem et veritatem semper consideravit duas notiones praecipuas, ad ecclesiale hermeneuma sacrarum Scripturarum spectantes. Attamen hodierna necessitas agnoscì debet has res congruenter inquirendi, ita ut necessitatibus melius subveniatur, ad interpretationem textuum sacrorum secundum eorum naturam spectantibus. Hoc in rerum prospectu magnopere exoptamus ut hac in provincia investigatio

<sup>67</sup> Cfr *Propositiones* 5. 12.

<sup>68</sup> Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de divina Revelatione *Dei Verbum*, 12.

<sup>69</sup> Cfr *Propositio* 12.

<sup>70</sup> CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de divina Revelatione *Dei Verbum*, 11.

progrediatur itemque fructus in disciplinae biblicae spiritualisque fidelium vitae beneficium afferat.

*Deus Pater, Verbi fons et origo*

20. Revelationis itaque oeconomia ex Deo Patre initium originemque sumit. Suo verbo «caeli facti sunt, et spiritus oris eius omnis virtus eorum» (*Ps 33,6*). Ipse efficit «illuminationem scientiae claritatis Dei in facie Iesu Christi» (*2 Cor 4,6*; cfr *Mt 16,12*; *Lc 9,29*).

In Filio qui est «Logos et caro factus» (cfr *Io 1,14*) quique venit ut faceret voluntatem Eius, qui eum misit (cfr *Io 4,34*), Deus, revelationis fons, ut Patrem se manifestat atque divinam hominis institutionem complet, quam antea prophetarum verba et mirabilia illa commoverunt, quae in creatione et in historia ipsius populi omniumque hominum facta sunt. Huius Dei Patris revelationis fastigium a Filio cum Paracliti dono datur (cfr *Io 14,16*), Spiritus Patris eiusque Filii, qui nos «deducit in omnem veritatem» (*Io 16,13*).

Universae ita Dei promissiones in Iesu Christo «sic» fiunt (cfr *2 Cor 1,20*). Hoc modo homini datur facultas semitam calcandi, quae ad Patrem ducit (cfr *Io 14,6*), in fine «ut sit Deus omnia in omnibus» (*1 Cor 15,28*).

21. Sicut Christi crux demonstrat, Deus suum etiam per silentium loquitur. Dei silentium, Omnipotentis et Patris longinquitatis experientia decretorium est momentum in Filii Dei, Verbi incarnati, terrestri itinere. In crucis ligno pendens, dolorem lamentatus est, hoc silentio Ei procuratum: «Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?» (*Mc 15,34*; *Mt 27,46*). In oboedientia usque ad extremum vitae halitum procedens, in mortis obscuritate, Iesus Patrem invocavit. Ipsi se transitus hora, per mortem ad vitam aeternam, commisit: «Pater, in manus tuas commendo spiritum meum» (*Lc 23,46*).



Haec Iesu experientia hominis condicionem signat, qui, postquam Dei Verbum auscultavit et agnovit, cum eius silentio se conferre debet. Id complures sancti et mystici sunt experti, quod etiam hodie in credentium iter ingreditur. Dei silentium eius verba producit. Obscuris his momentis Ipse in mysterio sui silentii loquitur. Itaque in christianae revelationis processu, silentium ut insignis apparet Dei Verbi locutio.

#### HOMINIS RESPONSIO AD DEUM LOQUENTEM

##### *Vocati ad Foedus cum Deo suscipiendum*

22. Verbi pluriformitatem in luce ponentes, contemplari potuimus quot per vias Deus loquatur et obviam homini veniat, notum se reddens in dialogo. Profecto, prout merito edixerunt Patres Synodales, «dialogus cum ad Revelationem relatus sit, secum fert *primatum* divini Verbi in hominem conversi». <sup>71</sup> Mysterium Foederis exprimit hanc necessitudinem inter Deum qui suo Verbo vocat et hominem qui respondet, sub perspicua conscientia non agi de quodam occurso inter duos simili modo contrahentes; id quod nos Vetus Novumque Foedus appellamus non respicit consensum inter duas aequales partes, sed exclusivum donum Dei. Per hoc donum Sui amoris, Ille omnia superans spatia nos vere reddit suos consortes, ita ut perfici possit mysterium nuptiale amoris inter Christum et Ecclesiam. Sub hoc prospectu omnis homo uti destinatarius Verbi apparet, interpellatus et vocatus ad hunc dialogum amoris per liberam responsionem participandum. Unusquisque nostrum sic capax a Deo redditur *exaudiendi et respondendi* ad divinum Verbum. Homo creatur in Verbo et in ipso vivit; seipsum intellegere nequit, nisi sese aperiat ad hunc dialogum: Verbum Dei revelat naturam filialem et relationalem vitae nostrae. Reapse invitamur per gratiam ut conformemur ad Christum, Filium Patris, et in Ipsum transformemur.

<sup>71</sup> *Propositio 4.*

*Deus exaudit hominem ad eiusque interrogationes respondet*

23. Cum Deo colloquentes nosmet ipsos novimus et responsa invenimus ad magis profundas interrogationes, quae insunt nostris in cordibus. Verbum enim Dei non opponitur homini, eius authentica optata non coercet, immo illuminat, mundat et ad effectum ea perducit. Quanti ponderis nostrae est aetati ut detegatur *Deum tantummodo respondere ad sitim quae in cuiusque hominis corde reperitur!* Hodierno tempore pro dolor! diffunditur, maxime in mundo Occidentali, conceptus, iuxta quem Deus alienus sit tam vitae quam quaestionibus hominis et immo Eius praesentia possit esse comminatio eius autonomiae. Profecto, universa oeconomia salutis nobis ostendit Deum loqui et historiae interesse in hominis eiusque integralis salutis utilitatem. Idcirco, peremptorium est, sub prospectu pastorali, ut exhibeatur Verbum Dei in sua facultate colloquendi de quaestionibus, quas homo in cotidiana vita oppetere tenetur. Ipse Iesus conspicitur nobis sicut Ille qui venit ut vitam abundantius habeamus (cfr *Io* 10, 10). Hac de causa, maximopere adlaboremus oportet ad monstrandum Verbum Dei, uti aperturam ad proprias quaestiones, uti responsum ad proprias interrogationes, uti dilationem ad proprios valores ac simul uti impletionem propriarum expectationum. Pastoralis Ecclesiae ratio recte dilucidare debet quomodo Deus exaudiat necessitates hominis eiusque clamorem. Sanctus Bonaventura ita asserit in suo opere *Breviloquium*: «Status vero sive fructus sacrae Scripturae non est quicumque, sed plenitudo aeternae felicitatis. Nam haec est Scriptura, in qua verba sunt vitae aeternae, quae ideo scripta est, non solum ut credamus, verum etiam ut vitam possideamus aeternam, in qua quidem videbimus, amabimus, et universaliter nostra desideria implebuntur». <sup>72</sup>

<sup>72</sup> *Prolog.*, Opera omnia V, Quaracchi 1891, p. 201-202.

### *Cum Deo colloquendum per Ipsius verba*

24. Divinum verbum unumquemque nostrum inducit in colloquium cum Domino: Deus qui loquitur docet nos quomodo cum Ipso colloqui possimus. Cogitatio sponte vertitur ad *Librum Psalmorum*, in quo Ipse nobis tribuit verba quibus nos ad Eum convertere possimus, vitam nostram coram Eo in colloquio gerere valeamus, sic ipsam vitam transformantes in motionem ad Deum.<sup>73</sup> In Psalmis enim invenimus contextam seriem sensuum, quos homo experiri potest in propria existentia et qui sapienter sunt positi coram Deo; hic enim exprimuntur gaudium et dolor, anxietas et spes, timor et trepidatio. Simul cum Psalmis mens nostra vertitur quoque ad alios innumeros textus sacrae Scripturae, quibus ostenditur quomodo homo ad Deum sese intendat per precessionem intercessionis (cfr *Ex 33,12-16*), per canticum iubilationis ob victoriam (cfr *Ex 15*), vel per lamentationem in propria missione exsequenda (cfr *Ier 20,7-18*). Ita verbum quod homo vertit ad Deum, ipsum quoque efficitur Verbum Dei, tamquam confirmatio indolis dialogicae totius christianae Revelationis<sup>74</sup> et universa hominis existentia fit dialogus cum Deo qui loquitur et exaudit, qui vocat et mobilizat vitam nostram. Verbum Dei hic revelat integram hominis existentiam sub divina versari vocatione.<sup>75</sup>

### *Verbum Dei et fides*

25. «Deo revelanti praestanda est “oboeditio fidei” (*Rom 16, 26*; cfr *Rom 1, 5*; *2 Cor 10,5-6*), qua homo se totum libere Deo committit “plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium” praestando et voluntarie revelationi ab Eo datae as-

<sup>73</sup> Cfr BENEDICTUS XVI, *Allocutio Lutetiae Parisiorum ad viros culturae deditos apud Collegium a Bernardinis* (12 Septembris 2008): *AAS 100* (2008), 721-730.

<sup>74</sup> Cfr *Propositio 4*.

<sup>75</sup> Cfr *Relatio post disceptationem*, 12.

sentiendo». <sup>76</sup> Hisce vocibus Constitutio dogmatica *Dei Verbum* adamussim expressit modum quo homo se gerit coram Deo. *Responsio propria hominis ad Deum loquentem fides est*. Unde perspicue fit, ut «ad Revelationem accipiendam, homo mentem et cor suum actioni Spiritus Sancti aperta praebere debeat, ut intellegat divinum Verbum sacris Scripturis praesens contentum». <sup>77</sup> Etenim praedicatio divini Verbi facit ut exoriat fides, per quam libenter veritati nobis revelatae adhaereamus et Christo nosmet ipsos in integrum commendemus: «*ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi*» (*Rom 10,17*). Universa historia salutis gradatim ostendit nobis hoc intimum vinculum inter Verbum Dei et fidem quae in occurso cum Christo adimpletur. Etenim cum Ipso fides assumit formam occurrendi cum Persona illa cui propria vita conceditur. Christus Iesus praesens permanet hodie in historia, in suo corpore quod est Ecclesia, quocirca actus fidei nostrae est personalis simul et ecclesialis actus.

#### *Peccatum tamquam non-auditio Verbi Dei*

26. Verbum Dei necessario revelat etiam funestam possibilitatem ex parte libertatis hominis sese subducendi ab hoc dialogo foederis cum Deo, per quem creati sumus. Divinum enim Verbum patefacit quoque peccatum quod in cor hominis agit radices. Saepissime invenimus tam in Vetere quam in Novo Testamento peccatum describi tamquam *non-auditionem Verbi*, uti *iacturam Foederis* et itaque uti clausuram erga Deum, qui vocat ad communionem Secum instituendam. <sup>78</sup> Etenim sacra Scriptura nos edocet quomodo peccatum hominis essentialiter sit inobedientia et «non-auditio». Ipsa enim radicalis Iesu oboedientia usque ad mortem Crucis (cfr *Philp 2,8*) hoc peccatum usque in

<sup>76</sup> CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de divina Revelatione *Dei Verbum*, 5.

<sup>77</sup> *Propositio 4*.

<sup>78</sup> Verbi gratia *Dt 28, 1-2.15.45; 32,1*; ex prophetis cfr *Ier 7, 22-28; Ez 2,8; 3,10; 6,3; 13,2*; usque ad ultimos: cfr *Zach 3,8*. Apud sanctum Paulum cfr *Rom 10,14-18; 1 Thess 2,13*.

extremum detegit. In eius oboedientia adimpletur Novum Foedus inter Deum et hominem, atque data est nobis opportunitas reconciliationis. Iesus enim missus est a Patre tamquam victima expiationis pro peccatis nostris et totius mundi (cfr *1 Io* 2,2; 4,10; *Heb* 7,27). Sic nobis offertur misericors redemptionis possibilitas et initium novae vitae in Christo. Hac quidem de causa magni interest ut fideles perducantur ad intellegendum peccati radicem inesse in non-auditione Verbi Dei, et ad excipiendam in Iesu, Verbo Dei, veniam, quae ad salutem est aditus.

*Maria «Mater Verbi Dei» et «Mater fidei»*

27. Patres synodales declaraverunt finem fundamentalem XII Coetus fuisse «renovare fidem Ecclesiae in Verbum Dei»; quapropter necesse est oculos convertere illuc ubi reciprocitas inter Verbum Dei et fidem perfecte adimpletur, id est ad Mariam Virginem, quae, «adnuens suo consensu Foederis Verbo eiusque missioni, plene complet divinam humanitatis vocationem».<sup>79</sup> Humana realitas, creata per Verbum suam figuram in ipsa obsequenti fide Mariae expletam reperit. Ipsa ab Annuntiatione ad Pentecostem veluti mulier apparet prorsus prompta voluntati Dei. Est Immaculata Conceptio eius, quae a Deo «impletur gratia» (cfr *Lc* 1,28), docilis sine condicione erga Verbum divinum (cfr *Lc* 1,38). Eius fides oboediens est forma quam vita eius prae Dei incepto omni tempore sumit. Virgo auscultans, Ipsa cum divino Verbo plane consentit; suo in corde servat eventus Filii sui, veluti in opus musivum conferens (cfr *Lc* 2,19.51).<sup>80</sup>

Nostra quidem aetate fideles oportet inducantur ad nexum melius inveniendum inter Mariam Nazarethanam et credentem auditionem Verbi divini. Hortamur quoque doctos viros ut penitus inspiciant vinculum inter *mariologiam et theologiam Ver-*

<sup>79</sup> *Propositio* 55.

<sup>80</sup> Cfr BENEDICTUS XVI, Adhort. ap. postsynodalis *Sacramentum caritatis* (22 Februarii 2007), 33: *AAS* 99 (2007), 132-133.

*bi.* Ex hac re obvenire potest summum beneficium tam pro vita spirituali quam pro studiis theologicis et biblicis. Etenim, quidquid intellectio fidei quoad Mariam altius perspexit, collocatur in centro magis intimo christianae veritatis. Enimvero, incarnatio Verbi cogitari nequit si praetermittitur libertas huius iuvenis mulieris, quae suo consensu ad ingressum Aeterni in tempus definitive cooperatur. Ipsa figura est Ecclesiae in auditione Verbi Dei, quod in ea caro efficitur. Maria quoque symbolum est aperturae ad Deum et ad ceteros; auditio activa, quae in interius perducit, assimilatur, in qua Verbum fit forma vitae.

28. His in adiunctis in mentem revocare cupimus consuetudinem Mariae cum Verbo Dei. Quod singulari efficacitate splendet in Cantico *Magnificat*. Hic quodammodo intellegi potest quomodo Ipsa una fiat eademque cum Verbo, et in illud ingrediatur; in hoc miro fidei Cantico Virgo Dominum extollit ipso eius Verbo: «*Magnificat* illud – ut ita dicamus, eius animae quasi effigies – sacrae Scripturae filis plane contexitur, filis scilicet Verbi Dei. Sic manifestatur, in Dei Verbo eam vere esse sua in domo, inde sponte exeuntem et illuc redeuntem. Per Dei Verbum loquitur et cogitat; Dei Verbum fit eius verbum, atque eius verbum ex Dei Verbo oritur. Ostenditur praeterea eius cogitationes cogitationibus Dei assimilari, eius voluntatem una esse cum Dei voluntate. Cum Dei Verbo penitus imbuatur, ipsa Verbi incarnati Mater fieri potest».<sup>81</sup>

Praeterea, mentio quae fit de Matre Dei edocet nos quomodo actio Dei in terrarum orbe nostram iugiter implicet libertatem, quoniam in fide Verbum Dei nos transformat. Actio quoque nostra apostolica et pastoralis numquam efficax esse poterit nisi a Maria discamus actione Dei in nobis plasmari: «Maximi porro momenti est devote et amanter oculos convertere in Mariam ut in speculum et exemplar fidei Ecclesiae, huius rei causa maxime, ut hodie mutationem efficiamus tangibilem in relatione Eccle-

<sup>81</sup> ID., Litt. enc. *Deus caritas est* (25 Decembris 2005), 41: *AAS* 98 (2006), 251.

siae cum Verbo, tam in habitu auditus orantis quam in opera munifice pro missione et nuntio impendenda». <sup>82</sup>

Si in Dei Matre contemplamur quandam existentiam a Verbo prorsus plasmata, detegemus nos quoque invitatos esse ad mysterium fidei ingrediendum, per quam Christus venit ut in vita nostra commoretur. Omnis christianus credens, ut memorat sanctus Ambrosius, quodam sensu concipit et generat Verbum Dei in seipso; si una est Mater Christi secundum carnem, Christus tamen omnium fructus est. <sup>83</sup> Itaque, quod Mariae accidit, unicuique nostrum cotidie contingere potest in auditione Verbi et in celebratione Sacramentorum.

#### HERMENEUTICA SACRAE SCRIPTURAE IN ECCLESIA

##### *Ecclesia, originalis sedes hermeneuticae Bibliorum*

29. Aliud magni ponderis argumentum agitatum in Synodo, ad quod nunc mentem vertere intendimus, respicit *interpretationem sacrae Scripturae in Ecclesia*. Nexus ipse intrinsecus inter Verbum et fidem perspicue ostendit authenticam hermeneuticam Bibliorum existere non posse nisi in fide ecclesiali, cuius exemplar invenitur in consensu Mariae. Sanctus Bonaventura ad rem affirmat quod absque fide deest clavis accedendi ad textum sacrum: «Haec est notitia Iesu Christi, ex qua originaliter manat firmitas et intelligentia totius sacrae Scripturae. Unde et impossibile est, quod aliquis in ipsam ingrediatur agnoscendam, nisi prius Christi fidem habeat sibi infusam, tamquam totius Scripturae lucernam et ianuam et etiam fundamentum». <sup>84</sup> Et sanctus Thomas Aquinas, sanctum Augustinum memorans, vehementer instat: «Unde etiam littera Evangelii occideret, nisi adesset interius gratia fidei sanans». <sup>85</sup>

<sup>82</sup> *Propositio 55*.

<sup>83</sup> Cfr *Expositio Evangelii secundum Lucam 2, 19*; PL 15, 1559-1560.

<sup>84</sup> *Breviloquium, Prol.*, Opera omnia, V, Quaracchi 1891, p. 201-202.

<sup>85</sup> *Summa Theologiae*, Ia-IIae, q. 106, art. 2.

Et hoc occasionem nobis praebet recolendi criterium fundamentale hermeneuticae biblicae: *sedes originalis interpretationis Scripturae est vita Ecclesiae*. Assertio haec non exhibet indicium ecclesiale veluti criterium extrinsecum cui exegetae subici teneantur, sed requiritur ex ipsa realitate Scripturarum et ex modo quo temporis decursu sunt formatae. Etenim, «traditiones fidei vitalem ambitum constituebant in quem activitas litteraria auctorum sacrae Scripturae inserebatur. Insertio haec secum ferebat quoque ius participandi vitam liturgicam et externam activitatem communitatis, eorum mundum spiritualem, eorum culturam et vicissitudines historicae fortunae. Itaque interpretatio sacrae Scripturae, simili modo, requirit ut exegetae partes habeant totius vitae et totius fidei communitatis credentis temporis illorum».<sup>86</sup> Quapropter, «cum sacra Scriptura eodem Spiritu quo scripta est etiam legenda et interpretanda sit»,<sup>87</sup> exegetae, theologi et universus Dei Populus accedant oportet ad eam propter id quod revera est, scilicet quatenus Verbum Dei qui per verba humana nobiscum loquitur (cfr *1 Thess 2, 13*). Haec est informatio permanens et in ipsis Bibliis insita: «Omnis prophetia Scripturae propria interpretatione non fit; non enim voluntate humana prolata est prophetia aliquando, sed a Spiritu Sancto ducti locuti sunt a Deo homines» (*2 Pe 1,20*). Ceterum, est fides Ecclesiae quae in Bibliis agnoscit Verbum Dei; uti mirum in modum ait sanctus Augustinus, «ego vero Evangelio non crederem, nisi me catholicae Ecclesiae commoveret auctoritas».<sup>88</sup> Spiritus Sanctus, qui animat vitam Ecclesiae, Ille est qui capaces nos reddit Scripturas authentice interpretandi. Biblia constituunt librum Ecclesiae, et ex eorum immanentia in vita ecclesiali exoritur quoque vera eorundem hermeneutica.

<sup>86</sup> PONTIFICIA COMMISSIO BIBLICA, *L'interpretazione della Bibbia nella Chiesa* (15 Aprilis 1993), III, A, 3: *Ench. Vat.* 13, n. 3035.

<sup>87</sup> CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de divina Revelatione *Dei Verbum*, 12.

<sup>88</sup> *Contra epistulam Manichaei quam vocant fundamenti*, V, 6: *PL* 42, 176.



30. Sanctus Hieronymus sapienter memorat nos singulatim Scripturam unquam legere non posse. Nimios enim aditus obstructos reperimus et facile in errorem incidimus. Biblia scripta sunt a Dei Populo et pro Dei Populo, sub Spiritus Sancti afflatu. Tantummodo in hac communione cum Populo Dei vere ingredi possumus «nobiscum» in nucleum veritatis quam ipse Deus nobis dicere cupit.<sup>89</sup> Ille vir doctus, cui «ignoratio Scripturarum ignoratio Christi est»,<sup>90</sup> affirmat quod ecclesialitas interpretationis biblicae non est exigentia iniuncta ex externo; Liber est enim vox Populi Dei peregrinantis, et tantum ob fidem huius Populi – ut ita dicamus – versamur in iusta tonalitate ad intellegendam sacram Scripturam. Authentica Bibliorum interpretatio sit semper oportet in harmonica congruentia cum fide Ecclesiae catholicae. Ita sanctus Hieronymus quendam hortabatur presbyterum: «Ut possis exhortari in doctrina sana et contradicentes revincere, permane in his, quae didicisti et credita sunt tibi».<sup>91</sup>

Aditus ad textum sacrum, qui fidem posthabeant, elementa cuiusdam ponderis innuere possunt, si remorantur in structura textus eiusque formis; attamen, talis conatus necessario esset tantummodo praevius et secundum structuram haud expletus. Enimvero, prout edixit Pontificia Commissio Biblica, resonans principium condivisum in hodierna hermeneutica, «ad aequam intellectionem textus biblici accedere potest tantum ille qui affinitate fruitur cum iis de quibus textus loquitur».<sup>92</sup> Haec omnia in lucem proferunt relationem inter vitam spiritualem et hermeneuticam Scripturae. Etenim «simul cum incremento vitae in Spiritu crescit quoque in lectore intellectio realitatum de quibus loquitur textus biblicus».<sup>93</sup> Vigor intensus authenticae experien-

<sup>89</sup> Cfr BENEDICTUS XVI, *Audientia Generalis* (14 Novembris 2007): *Insegnamenti* III, 2 (2007), 586-591.

<sup>90</sup> *Commentariorum in Isaiam libri, Prol.: PL* 24, 17.

<sup>91</sup> *Epistula* 52, 7: *CSEL* 54, p. 426.

<sup>92</sup> PONTIFICIA COMMISSIO BIBLICA, *L'interpretazione della Bibbia nella Chiesa* (15 Aprilis 1993), II, A, 2: *Ench. Vat.* 13, n. 2988.

<sup>93</sup> *Ibid.*, II, A, 2: *Ench. Vat.* 13, n. 2991.

tiae ecclesialis facere non potest quin augeat intellectionem authenticae fidei erga Verbum Dei; sensu reciproco affirmandum est quod Scripturas in fide legere, ipsam ecclesiam vitam augere facit. Inde nova ratione decerpere possumus illam notam sententiam sancti Gregorii Magni: «Divina eloquia cum legente crescunt».<sup>94</sup> Sic enim auditio Verbi Dei inducit et auget communionem ecclesiam cum omnibus in fide ambulantibus.

«*Anima sacrae Theologiae*»

31. «Ideoque Sacrae Paginae studium sit veluti anima Sacrae Theologiae»:<sup>95</sup> haec expressio Constitutionis dogmaticae *Dei Verbum* hisce in annis nobis magis magisque efficitur familiaris. Affirmare possumus quod periodus, quae sequitur Concilium Vaticanum II, quantum attinet ad studia theologica et exegetica, saepe hanc sententiam memorat veluti figuram renovati fervoris erga sacram Scripturam. Etiam Coetus XII Synodi Episcoporum saepe mentem vertit ad hanc conspicuam affirmationem ut significaret relationem inter investigationem historicam et hermeneuticam fidei cum refertur ad textum sacrum. Sub hoc prospectu Patres laetanter agnoverunt dilatatum studium Verbi Dei in Ecclesia his novissimis decenniis, et omnino persuasi *enixas rettulerunt grates innumeris exegetis et theologis* qui, deditio-  
ne, assiduitate et peritia essentialiter contulerunt et conferunt ad altiorem promovendum sensum Scripturarum, oppetentes intricatas quaestiones, quae aetate nostra biblicae investigationi proponuntur.<sup>96</sup> *Sinceri gratique animi sensus relati sunt quoque sodalibus Pontificiae Commissionis Biblicae*, qui subsecuti sunt his annis, et in arta communi-  
one cum Congregatione pro Doctri-

<sup>94</sup> *Homilia in Ezechielem* I, VII, 8: PL 76, 843 D.

<sup>95</sup> CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de divina Revelatione *Dei Verbum*, 24; cfr LEO XIII, Litt. enc. *Providentissimus Deus* (18 Novembris 1893), *Pars II*, sub fine: ASS 26 (1893-94), 269-292; BENEDICTUS XV, Litt. enc. *Spiritus Paraclitus* (15 Septembris 1920), *Pars III*: AAS 12 (1920), 385-422.

<sup>96</sup> Cfr *Propositio* 26.

na Fidei conspicuam ferre pergunt cooperationem ad peculiare obsequium quaestiones quae cum studio sacrae Scripturae nectuntur. Synodus insuper necessitatem experta est sese interrogandi de hodierno studiorum biblicorum statu ac de eorum pondere in campo theologico. Etenim, ex fecundo vinculo inter exegesim et theologiam pendet pleraque pars efficacitatis pastoralis actionis Ecclesiae vitaeque spiritualis fidelium. Quamobrem cuiusdam esse ponderis arbitramur quasdam rursus instituere reflexiones, ortas ex collatione huiusmodi habita in laboribus Synodi.

*Diffusio investigationis biblicae et ecclesiale Magisterium*

32. In primis agnoscatur oportet beneficium quod in vita Ecclesiae deductum est ex exegesi historico-critica et ex ceteris viis investigationis textus recenti tempore explicatis.<sup>97</sup> Ad catholicam visionem sacrae Scripturae quod attinet, animadversio quaedam has methodos respiciens necessaria fit et nectitur cum realismo incarnationis: «Necessitas haec consequenter profluit e christiana sententia concepta in Ioanne 1, 14: *Verbum caro factum est*. Historicus eventus constitutiva dimensio est christianae fidei. Historia salutis non est mythorum collectio, verum historia genuina, quam ob causam studium ope viarum severae historicae indagacionis est peragendum».<sup>98</sup> Idcirco, studium Bibliorum cognitionem requirit et congruentem usum harum viarum investigationis. Si verum est quod sensus hic in ambitu studiorum hodierna aetate acrius increbruit, quamvis ubivis inaequali ratione, attamen, iuxta sanam ecclesialem traditionem, fervor erga studium «litterae» constanter exstitit. Sufficit hic in memoriam revocare culturam monasticam, cui denique debetur fundamentum culturae Europaeae, in cuius radice invenitur studium

<sup>97</sup> Cfr PONTIFICIA COMMISSIO BIBLICA, *L'interpretazione della Bibbia nella Chiesa* (15 Aprilis 1993), A-B: *Ench. Vat.* 13, n. 2846-3150.

<sup>98</sup> BENEDICTUS XVI, *Allocutio in XIV Congregatione Generali Synodi Episcoporum* (14 Octobris 2008): *Insegnamenti* IV, 2 (2008), 492; cfr *Propositio* 25.

verbi. Desiderium Dei complectitur amorem verbi omnibus sub aspectibus: «Quandoquidem in biblico Verbo Deus ad nos iter suscipit et nos ad Eum, discamus oportet in linguae secretum penetrare, eandem in eius structura et in modo quo exprimitur percipere. Ita, Deum quaerendi causa, pondus obtinent scientiae profanae, quae nobis ad linguam vias ostendunt». <sup>99</sup>

33. Vivens Magisterium Ecclesiae, ad quod spectat «munus authentice interpretandi verbum Dei scriptum vel traditum», <sup>100</sup> sapienti prudentia intervenit in iis quae pertinent ad iustum criterium servandum in novis methodis historicae investigationis inducendis. Peculiarem in modum loquimur de binis Litteris Encyclicis *Providentissimus Deus* Summi Pontificis Leonis XIII et *Divino afflante Spiritu* Summi Pontificis Pii XII. Venerabilis Noster Decessor Ioannes Paulus II in memoriam revocavit momentum horum documentorum in ambitu exegesis et theologiae, recurrente celebratione sive centenariae sive quinquagesimae memoriae ab earum respectiva promulgatione. <sup>101</sup> Summus Pontifex Leo XIII per suum interventum meritum obtinuit catholicam Bibliorum interpretationem tuendi ab impugnationibus rationalismi, quin confugeret ad sensum spiritualem ab historia seiunctum. Non refugens criticam scientificam, diffidebat tantummodo «de sentiis praeconceptis quae scientia niti appetunt, sed revera contendunt ut ex ipsorum campo scientia dolose emergat». <sup>102</sup> Summus Pontifex Pius XII sua pro parte optebat incursus propugnantium exegesis sic dictam mysticam, quae quemlibet aditum scientificum reiciebat. Litterae Encyclicae *Divino afflante Spiritu* summa utentes lenitate vitaverunt ne

<sup>99</sup> ID., *Allocutio Lutetiae Parisiorum ad viros culturae deditos apud Collegium a Bernardinis* (12 Septembris 2008): *AAS* 100 (2008), 722-723.

<sup>100</sup> CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de divina Revelatione *Dei Verbum*, 10.

<sup>101</sup> Cfr IOANNES PAULUS II, *Allocutio habita I expleto saeculo a Litteris encyclicis Providentissimus Deus necnon L exeunte anno a Litteris encyclicis Divino afflante Spiritu foras datis* (23 Aprilis 1993): *AAS* 86 (1994), 232-243.

<sup>102</sup> *Ibid.*, n. 4: *AAS* 86 (1994), 235.

diffunderetur conceptus discidii inter «exegesim scientificam» ad usum apologeticum et «interpretationem spiritualem interno usui reservatam», affirmando tamen sive «pondus theologicum sensus litteralis methodice definiti», sive pertinenti rationem «determinationis sensus spiritualis ... ad ambitum scientiae exegeticae».<sup>103</sup> Tali modo utrumque documentum respuit «discidium inter humanum et divinum, inter investigationem scientificam et aspectum fidei, inter sensum litteralem et sensum spiritualem».<sup>104</sup> Postea hoc aequilibrium subsequenti tempore declaratum est in documento Pontificiae Commissionis Biblicae anni MCMXCIII: «Exegetae catholici, dum interpretationi dant operam, minime obliviscantur ea quae interpretantur *Verbum Dei* esse. Eorum munus non concluditur cum illi fontes distinguunt, cum formas describunt vel processus litterarios explicant. Finis laboris eorum attingitur tantummodo postquam sensum textus biblici tamquam actualis Verbi Dei explanaverunt».<sup>105</sup>

*Hermeneutica biblica conciliaris: annotatio quaedam amplectenda*

34. Hoc praevio prospectu, pluris aestimari possunt notissima interpretationis principia propria exegesis catholicae et declarata in Concilio Vaticano II, praesertim in Constitutione dogmatica *Dei Verbum*: «Cum autem Deus in sacra Scriptura per homines more hominum locutus sit, interpres sacrae Scripturae, ut perspiciat, quid Ipse nobiscum communicare voluerit, attente investigare debet, quid hagiographi reapse significare intenderint et eorum verbis manifestare Deo placuerit».<sup>106</sup> Concilium in luce collocat elementa fundamentalia ad sensum ab hagiographis optatum eruendum per studium generum litterariorum et ambitus contextualis. Praeterea, cum Scriptura interpretanda sit eodem

<sup>103</sup> *Ibid.*, n. 5: AAS 86 (1994), 235.

<sup>104</sup> *Ibid.*, n. 5: AAS 86 (1994), 236.

<sup>105</sup> PONTIFICIA COMMISSIO BIBLICA, *L'interpretazione della Bibbia nella Chiesa* (15 Aprilis 1993), III, C, 1: *Ench. Vat.* 13, n. 3065.

<sup>106</sup> N. 12.

Spiritu quo scripta est, Constitutio dogmatica denotat tria elementa methodologica fundamentalia ut mens vertatur ad divinam Bibliorum dimensionem, scilicet 1) textus interpretandus est, dummodo perpendatur *unitas totius Scripturae*, quod hodie appellatur exegesis canonica; 2) ratio habenda est de *viva totius Ecclesiae Traditione*, ac denique 3) servanda est *analogia fidei*. «Tantummodo cum duo adimplentur gradus methodologici, scilicet historico-criticus et theologicus, tunc agi potest de exegesi theologica, de exegesi huic libro accommodata». <sup>107</sup>

Patres synodales iure meritoque affirmarunt quod negari nequit fructus positivus qui obvenit ex usu hodiernae investigationis historico-criticae. Attamen, dum praesens exegesis academica, catholica quoque, altiore operatur gradu in eo quod attinet ad methodologiam historico-criticam, adhibens etiam eius recentiora adiuncta, necesse est exigere simile studium de theologica ratione textuum biblicorum, ut progrediatur altior investigatio iuxta tria elementa quae Constitutio dogmatica *Dei Verbum* secum fert. <sup>108</sup>

### *Periculum dualitatis et hermeneutica saecularizata*

35. Ad hoc quod attinet, denunciare necesse est grave hodiernum discrimen cuiusdam dualitatis quae ingignitur ex aditu ad sacras Scripturas. Etenim, dum duo gradus distinguuntur aditus biblici, minime intenditur eos disiungere, nec opponere nec simpliciter apponere. Illi dantur tantum in reciprocitate. Attamen, haud raro infructuosa disiunctio inter eos quandam ingenerat extraneitatem inter exegesim et theologiam, quae evenit «etiam in verticibus academiarum». <sup>109</sup> Hic enim referre velimus urgentiora consecretaria quae sunt vitanda.

<sup>107</sup> BENEDICTUS XVI, *Allocutio in XIV Congregatione Generali Synodi Episcoporum* (14 Octobris 2008): *Insegnamenti* IV, 2 (2008), 493; cfr *Propositio* 25.

<sup>108</sup> Cfr *Propositio* 26.

<sup>109</sup> *Propositio* 27.

a) In primis, si activitas exegetica reducitur tantum ad primum gradum, tunc consequenter ipsa Scriptura efficitur *textus tantum praeteriti temporis*: «Ex quo erui possunt conclusiones morales, historia disci potest, sed Liber qua talis loquitur tantum de anteactis temporibus et exegesis non est amplius vere theologica, sed mera evadit annalium memoria, historia litterarum». <sup>110</sup> Haud dubie in tali reductione minime intellegi potest eventus revelationis Dei per ipsius Verbum, quod in viva Traditione et in Scriptura nobis transmittitur.

b) Defectio hermeneuticae fidei in relatione ad Scripturam non configuratur deinde solum inter conceptus absentiae; in eius locum alia hermeneutica necessario subsequitur, nempe «*hermeneutica saeculo favorabilis*, positivista, cuius clavis fundamentalis persuasio est Divinum numen in hominum historia non apparere. Iuxta hanc hermeneuticam, cum videtur existere quoddam divinum elementum, hoc aliter est explicandum et omnia ad humanum elementum sunt coartanda. Unde proponuntur interpretationes quae reiciunt historicum divinorum elementorum sensum». <sup>111</sup>

c) Huiusmodi sententia facere non potest quin damnum afferat vitae Ecclesiae, dubium effundens circa fundamentalia mysteria christianismi eorumque momentum historicum, ut verbi gratia circa Eucharistiae institutionem et Christi resurrectionem. Ita enim superponitur quaedam hermeneutica philosophica, quae negat dari posse ingressum Divini Entis in historiam et in eadem eius praesentiam. Assumptio huius hermeneuticae intra studia theologica necessario inducit onerosam dualitatem inter exegesim, quae solum in primo gradu confirmatur, et theologiam quae aperitur ad declinationem spiritualizationis sensus Scripturarum, qui historicam Revelationis indolem negligit.

Omnia haec non possunt non esse quoque negativa in iis quae referuntur ad vitam spiritualem et actuositatem pastora-

<sup>110</sup> BENEDICTUS XVI, *Allocutio in XIV Congregatione Generali Synodi Episcoporum* (14 Octobris 2008): *Insegnamenti* IV, 2 (2008), 493; cfr *Propositio* 26.

<sup>111</sup> Cfr *ibid.*

lem; «unde, ob absentiam secundi gradus methodologici, colligitur altum datum esse discrimen inter exegesim scientificam et *lectionem divinam*. Immo exhinc quaedam exoritur haesitatio in homiliis quoque apparandis». <sup>112</sup> Praeterea affirmandum est quod hoc discidium aliquando incertitudinem gignit et exiguam soliditatem in itinere formationis intellectualis etiam apud quosdam candidatos ad ecclesialia ministeria. <sup>113</sup> In summa, «quoties exegesis non est theologia, Scriptura anima theologiae fieri nequit, versaque vice, quoties theologia non est essentialiter interpretatio Scripturae, haec theologia fundamento caret». <sup>114</sup> Quocirca firmiter redire oportet ad annotationes quas huiusmodi Constitutio dogmatica *Dei Verbum* tradit diligentius perpendendas.

#### *Fides et ratio ad Scripturam conveniendam*

36. Nostro quidem iudicio, conferre possunt ad perfectiorem comprehensionem exegesis et ideo eius vinculi cum universa theologia, ea quae Summus Pontifex Ioannes Paulus II ad rem edocuit in Litteris Encyclicis *Fides et ratio*. Affirmabat enim quod «non est porro subaestimandum periculum quod inest in proposito quodam sacrae Scripturae veritatem eruendi ex una tantum adhibita methodologia, necessitate neglecta latioris exegesis, quae una cum tota Ecclesia ad textus plene intellegendos accedere sinat. Quotquot in sacrae Scripturae studium incumbunt prae se usque ferre debent varias methodologias explanatorias in aliqua ipsas etiam inniti opinione philosophica: est illa acuminem pensitanda antequam sacris scriptis aptetur». <sup>115</sup>

<sup>112</sup> *Ibid.*

<sup>113</sup> Cfr. *Propositio 27*.

<sup>114</sup> BENEDICTUS XVI, *Allocutio in XIV Congregatione Generali Synodi Episcoporum* (14 Octobris 2008): *Insegnamenti IV*, 2 (2008), 493-494.

<sup>115</sup> IOANNES PAULUS II, Litt. enc. *Fides et ratio* (14 Septembris 1998), 55: *AAS 91* (1999), 49-50.



Haec provida meditatio ansam nobis praebet ad notandum quomodo in aditu hermeneutico ad sacram Scripturam necessario in discrimine versetur rectum vinculum inter fidem et rationem. Etenim hermeneutica saecularizata sacrae Scripturae in actu ponitur a quodam conceptu qui suam ob structuram impedire optat, nempe, quominus Deus ingredi possit in vitam hominum et humanis verbis hominibus loquatur. Itaque in his quoque adiunctis hortari necesse est ad *spatia propriae rationalitatis dilatanda*.<sup>116</sup> Hac de re in adhibendis methodis investigationis historicae vitandum est ne suscipiantur, si quae affuerint, criteria quae praeiudicialiter sese opponant revelationi Dei in vita hominum. Coniunctio duorum graduum operis interpretativi sacrae Scripturae secum fert, in conclusione, *congruentiam inter fidem et rationem*. Alia ex parte requiritur talis fides ut, servans conveniens vinculum cum recta ratione, nullo umquam tempore incidat in fideismum, qui quatenus ad Scripturam fautor fieret lectionum intolerantiae. Alia autem ex parte requiritur talis ratio ut, scrutans elementa historica in Bibliis insita, apertam se ostendat et non reiciat in antecessum *a priori* omnia quae propriam mensuram excedant. Ceterum, religio incarnati *Logos* non poterit non se praebere penitus rationalem coram homine qui veritatem et extremum sensum propriae vitae et historiae sinceriter scrutatur.

### *Sensus litteralis et sensus spiritualis*

37. Notabilis quaedam contributio ad instaurandam congruentem hermeneuticam Scripturae, uti affirmatum est apud Coetum synodalem, provenit quoque ex novata auditione Patrum Ecclesiae eorumque aditus exegetici.<sup>117</sup> Etenim Patres Ecclesiae etiam hactenus nobis exhibent theologiam magni ponderis, quo-

<sup>116</sup> Cfr BENEDICTUS XVI, *Allocutio ad IV Conventum Nationalem Ecclesiae in Italia* (19 Octobris 2006): *AAS* 98 (2006), 804-815.

<sup>117</sup> Cfr *Propositio* 6.

niam in eius cardine volvitur studium sacrae Scripturae in eius integritate. Patres enim in primis et essentialiter sunt «divinorum librorum tractatores».<sup>118</sup> Eorum «exemplum docere potest huiusce nostrae aetatis explanatores aditum vere religiosum sacrae Scripturae, itemque interpretationem quae constanter persequitur communionis criterium cum Ecclesiae experientia, quae per historiam ambulat Spiritus Sancti ductu».<sup>119</sup>

Quamvis ignorans, ut patet, fontes naturae philologicae et historicae quae hodiernae exegesi in promptu sunt, traditio patristica et mediaevalis bene noverat diversos sensus Scripturae, initium sumens a sensu litterali, id est, «a sensu deprompto ex verbis Scripturae et reperto per exegesim quae rectae interpretationis regulas sequitur».<sup>120</sup> Verbi gratia, Thomas Aquinas ait: «Omnes sensus (sacrae Scripturae) fundentur super litteralem».<sup>121</sup> Memoretur tamen oportet quod patristica et mediaevali aetate quodlibet genus exegesis, etiam litteralis, agebatur sub fundamentis fidei et distinctio non necessario dabatur inter *sensum litteralem* et *sensum spiritualem*. Ad rem meminisse iuvat illud classicum distichum quod nexum docet inter diversos Scripturae sensus:

«*Littera gesta docet, quid credas allegoria,  
moralis quid agas, quo tendas anagogia*».<sup>122</sup>

Hic enim advertimus unitatem et compaginem inter *sensum litteralem* et *sensum spirituales*, qui vicissim subdividitur in tres sensus, in quibus describuntur argumenta fidei, moralis et dis-sensionis eschatologicae.

In summa, dum agnoscimus pondus et necessitatem methodi historico-criticae, quamvis cum propriis restrictionibus, ab

<sup>118</sup> Cfr S. AUGUSTINUS, *De libero arbitrio*, III, XXI, 59: *PL* 32, 1300; *De Trinitate*, II, I, 2: *PL* 42, 845.

<sup>119</sup> CONGREGATIO DE INSTITUTIONE CATHOLICA, Instr. *Inspectis diebus* (10 Novembris 1989), 26: *AAS* 82 (1990), 618.

<sup>120</sup> *Catechismus Catholicae Ecclesiae*, 116.

<sup>121</sup> *Summa Theologiae*, I, q. 1, art. 10, ad 1.

<sup>122</sup> *Catechismus Catholicae Ecclesiae*, 118.

exegesi patristica id discimus nempe quod «dari potest fidelitas erga intentionalem sensum textuum biblicorum eo solummodo pacto ut, in substantiali eorum redactione, intendatur recuperare realitatem fidei quam ipsi exprimunt, dummodo cum credenti experientia societatis nostrae consocietur».<sup>123</sup> Sub hoc tantummodo prospectu agnoscitur Verbum Dei vivum esse et ad unumquemque nostrum in praesenti vitae tempore se convertere. Hoc in ambitu prorsus valida permanet assertio illa Pontificiae Commissionis Biblicae, quae sensum spirituales secundum fidem christianam describit uti «sensum declaratum in textibus biblicis cum leguntur sub inductione Spiritus Sancti in contextum mysterii paschalis Christi vitaeque novae ex eo manantis. Datur reapse hic contextus. In eo Novum Testamentum consummationem Scripturarum agnoscit. Idecirco iustum est Scripturas iterum legere sub lumine huius novi contextus, scilicet contextus vitae in Spiritu».<sup>124</sup>

*Necessaria transcendentia «litterae»*

38. Ad compaginem inter diversos sensus scripturísticos instaurandam, tunc peremptorium fit ut percipiatur *transitus inter litteram et spiritum*. Non agitur de transitu automatico et spontaneo; requiritur potius transcendentia litterae: «Verbum enim Dei numquam praesens est in simplici sensu litterali textus. Ad id attingendum habeantur necesse est transcendentia et processus comprehensionis, qui ab interno totius rei motu perducitur sinit et ideo processus quoque vitae effici debet».<sup>125</sup> Sic detegimus cur processus interpretativus authenticus numquam sit processus solummodo intellectualis sed etiam vitalis, in quo plena requi-

<sup>123</sup> PONTIFICIA COMMISSIO BIBLICA, *L'interpretazione della Bibbia nella Chiesa* (15 Aprilis 1993), II, A, 2: *Ench. Vat.* 13, n. 2987.

<sup>124</sup> *Ibid.*, II, B, 2: *Ench. Vat.* 13, n. 3003.

<sup>125</sup> BENEDICTUS XVI, *Allocutio Lutetiae Parisiorum ad viros culturae deditos apud Collegium a Bernardinis* (12 Septembris 2008): *AAS* 100 (2008), 726.

ritur implicatio in vitam ecclesiam, veluti vitam in «Spiritu» (*Gal 5,16*). Hac enim ratione magis perspicua redduntur criteria quae exhibentur in numero 12 Constitutionis dogmaticae *Dei Verbum*: huiusmodi transcendentia evenire nequit in singulis fragmentis litterariis sed tantum in relatione cum universa Scriptura. Unum enim est Verbum, quod nos transcendere vocamur. Hic processus secum fert intimum dramaticum sensum, quoniam, in transcendentiae processu transitus qui accidit vigore Spiritus, necessario nequitur cum uniuscuiusque libertate. Sanctus Paulus in propria existentia hunc transitum plene vixit. Quidam significant transcendentia litterae eiusque intellectio incipiendo tantummodo a rerum complexu, ipse sequenti locutione radicatus hoc expressit: «Littera enim occidit, Spiritus autem vivificat» (*2 Cor 3,6*). Paulus reperit «Spiritus liberatorem nomen habere et ideo libertatem mensuram interiori possidere: “Dominus autem Spiritus est; ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas” (*2 Cor 3, 17*). Spiritus liberator non est simpliciter proprius conceptus, personalis visio interpretantis. Spiritus est Christus, et Christus est Dominus qui ostendit nobis viam». <sup>126</sup> Scimus quomodo etiam apud sanctum Augustinum hic transitus eodem tempore dramaticus et liberans fuerit; ipse credere potuit in Scripturas, quae primo tempore videbantur illi ita dissidentes in seipsis et aliquando turpitudine plenae et hoc propter hanc transcendentiam quam ille a sancto Ambrosio didicit per interpretationem typologicam, per quam totum Vetus Testamentum iter est ad Christum Iesum. Iuxta sanctum Augustinum transcendentia litterae credibilem reddidit ipsam litteram, eique permisit ut responsum tandem inveniret ad altas inquietudines proprii animi veritatem sitientis. <sup>127</sup>

<sup>126</sup> *Ibid.*

<sup>127</sup> Cfr. ID., *Audientia Generalis* (9 Ianuarii 2008): *Insegnamenti* IV, 1 (2008), 41-45.

39. Apud scholam magnae traditionis Ecclesiae percipere discimus, in transitu a littera ad Spiritum, unitatem quoque totius Scripturae, quandoquidem unicum est Verbum Dei quod nostram vitam interpellat, eam constanter exhortans ad conversionem.<sup>128</sup> Nobis securam viam constituunt huiusmodi verba Hugonis a Sancto Victore: «Omnis Scriptura divina unus liber est, et ille unus liber Christus est, ... de Christo loquitur, et ... in Christo impletur».<sup>129</sup> Biblia profecto, sub aspectu tantummodo historico vel litterario, non sunt merus liber quidam, sed collectio textuum litterariorum, quorum compositio protrahitur ultra millennium quorumque singuli libri facile cognosci nequeunt uti pertinentes ad internam unitatem; patent tamen inter eos discrepantiae. Hoc iam valet intra Biblia Israelis, quae nos christiani Vetus Testamentum appellamus. Quod quidem potius valet cum nos, tamquam christiani, Novum Testamentum eiusque scripta, ad instar clavis hermeneuticae, coniungimus cum Bibliis Israelis, ea interpretantes veluti viam ad Christum. In Novo Testamento plerumque non adhibetur vox «Scriptura» (cfr *Rom* 4,3; *1 Pe* 2,6), sed potius «Scripturae» (cfr *Mt* 21,43; *Io* 5,39; *Rom* 1,2; *2 Pe* 3,16) quae tamen simul sumptae habentur tamquam unicum Verbum Dei ad nos conversum.<sup>130</sup> Unde perspicue patet quomodo Persona Christi unitatem ferat omnibus «Scripturis» quatenus ad unicum «Verbum» referantur. Tali modo percipiuntur ea quae asseruntur in Constitutione dogmatica *Dei Verbum* 12, ad significandam internam Bibliorum unitatem, veluti criterium definitivum ad iustam fidei hermeneuticam.

<sup>128</sup> Cfr *Propositio* 29.

<sup>129</sup> *De arca Noe*, 2, 8: *PL* 176, 642 C-D.

<sup>130</sup> Cfr BENEDICTUS XVI, *Allocutio Lutetiae Parisiorum ad viros culturae editos apud Collegium a Bernardinis* (12 Septembris 2008): *AAS* 100 (2008), 725.

40. Ad unitatem Scripturarum in Christo quod pertinet, sive theologi sive pastores conscii sint oportet de vinculis inter Vetus et Novum Testamentum. In primis perspicuum est quod *in ipso Novo Testamento agnoscitur Vetus Testamentum veluti Verbum Dei*, quapropter amplectitur auctoritatem sacrarum Scripturarum populi Hebraici.<sup>131</sup> Implicite excipit eas idem dicendi genus adhibens et saepe attingens paragraphos harum Scripturarum. Explicite excipit eas, quoniam aperte refert complures partes, quibus utitur ad argumentandum. Argumentatio quae nititur textibus Veteris Testamenti ita constituit in Novo Testamento momentum definitivum, maius quam simplices humanas ratiocinationes. In quarto Evangelio Iesus hac de re declarat: «Non potest solvi Scriptura» (*Io 10, 35*) et sanctus Paulus peculiarem in modum explicat revelationem Veteris Testamenti valida esse pergere pro nobis christianis (cfr *Rom 15,4; 1 Cor 10,11*).<sup>132</sup> Affirmamus insuper: «Iesus enim Nazarenus Hebraeus fuit et Ecclesia ex Terra Sancta, velut ex matre, nata est»;<sup>133</sup> quamobrem radix Christianismi invenitur in Vetere Testamento et Christianismus hac radice constanter alitur. Idcirco, sana doctrina christiana semper reiecit quamlibet formam Marcionismi recurrentis, qui, diversis quidem modis, Vetus Novo Testamento officere intendit.<sup>134</sup>

Praeterea, ipsum Novum Testamentum Veteri consentaneum se praebet et declarat quod in vitae, mortis et resurrectionis Christi mysterio sacrae Scripturae populi Hebraici perfectam invenerunt earum adimpletionem. Notandum tamen est notionem

<sup>131</sup> Cfr *Propositio 10*; PONTIFICIA COMMISSIO BIBLICA, *Il popolo ebraico e le sue sacre Scritture nella Bibbia cristiana* (24 Maii 2001), 3-5: *Ench. Vat.* 20, n. 748-755.

<sup>132</sup> Cfr *Catechismus Catholicae Ecclesiae*, 121-122.

<sup>133</sup> *Propositio 52*.

<sup>134</sup> Cfr PONTIFICIA COMMISSIO BIBLICA, *Il popolo ebraico e le sue sacre Scritture nella Bibbia cristiana* (24 Maii 2001), 19: *Ench. Vat.* 20, n. 799-801; ORIGENES, *Homilia in Numeros 9, 4*: *SC 415*, 238-242.

adimpletionis Scripturarum implicatam esse, eo quod secum fert triplicem dimensionem: rationem nempe fundamentalem *continuitatis* cum revelatione Veteris Testamenti, rationem *iacturae* et rationem *completionis et superationis*. Mysterium Christi continuitate intentionaliterque cum sacrificali cultu Veteris Testamenti coniungitur; peractum autem est modo longe diverso, qui congruit cum multis prophetarum oraculis, et ita perfectionem antea numquam adeptam attigit. Vetus Testamentum revera dissensionibus abundat inter aspectus institutionales et eius aspectus propheticos. Mysterium paschale Christi est prorsus consentaneum – ea tamen ratione quae praevideri non poterat – prophetiis et aspectui praefigurativo Scripturarum; nihilominus, patentes exhibet aspectus discontinuitatis quoad ad Veteris Testamenti institutiones.

41. Hae considerationes ita ostendunt Veteris Testamenti praestantiam necessariam esse pro christianis, eodemque tamen tempore *authenticam indolem lectionis christologicae* exhibent. Inde ab aetate apostolica ac deinceps in viva Traditione, Ecclesia in lucem protulit divini consilii unitatem in duobus Testamentis ope typologiae, quae non habet indolem arbitrariam, sed est intrinseca in eventibus a textu sacro narratis et ideo universam respicit Scripturam. Typologia «in Dei operibus sub Vetere Testamento peractis praefigurationes discernit illius quod Deus in plenitudine temporum in Persona Filii sui incarnati adimplevit». <sup>135</sup> Christiani igitur legunt Vetus Testamentum sub lumine Christi mortui et resuscitati. Si lectio typologica revelat inexhaustam materiam Veteris Testamenti in relatione ad Novum, attamen inducere non debet ad obliviscendum illud ipsum retinere proprium Revelationis vigorem, quem ipse Dominus denuo confirmavit (cfr *Mc* 12,29-31). Quocirca «Novum Testamentum postulat etiam ut sub Veteris legatur luce. Primaeva

<sup>135</sup> *Catechismus Catholicae Ecclesiae*, 128.

catechesis christiana constanter ad id recurrebat (cfr *I Cor* 5,6-8; 10,1-11)». <sup>136</sup> Quamobrem Patres synodales affirmaverunt quod «intellectio biblica Hebraeorum christianis quidem auxiliari potest in comprehensione et studio Scripturarum». <sup>137</sup>

«Novum Testamentum in Vetere est occultum, dum Vetus est in Novo detectum», <sup>138</sup> ita hac de re subtili sapientia sanctus Augustinus asseverabat. Magni igitur interest ut tam in pastorali quam in academico ambitu in lucem bene proferatur intimum vinculum inter duo Testamenta, dum sancti Gregorii Magni in memoriam revocamus effatum: «Quod Testamentum Vetus promisit, hoc Novum exhibuit et quod illud occulte annuntiat, hoc istud exhibitum aperte clamat. Prophetia ergo Testamenti Novi Testamentum Vetus est et expositio Testamenti Veteris Testamentum Novum». <sup>139</sup>

#### *Paginae «obscurae» Sacrarum Litterarum*

42. In contextu necessitudinis inter Vetus et Novum Testamentum, Synodus etiam tractavit argumentum de illis biblicis paginis, quae obscurae videntur et difficiles ob violentiam resque immorales aliquando in ipsis narratas. Ad rem quod attinet ante oculos ratio habeatur oportet potissimum *revelationem biblicam in historia funditus esse insitam*. Dei consilium ibi *progressive* manifestatur atque efficitur lente per *subsequentes periodos*, non obstante hominum oppositione. Deus eligit populum eiusque patienter curat educationem. Revelatio aptatur ad antiquarum aetatum culturalem moralemque rationem ideoque earum gesta et usus refert, exempli gratia fraudulentos motus, violentos interventus, populorum caedes, quin eorum immoralitatem palam denuntiet; quod explanatur ex historico contextu, qui tamen ho-

<sup>136</sup> *Ibid.*, 129.

<sup>137</sup> *Propositio* 52.

<sup>138</sup> *Quaestiones in Heptateuchum*, 2, 73: *PL* 34, 623.

<sup>139</sup> *Homiliae in Ezechielem*, I, VI, 15: *PL* 76, 836 B.



diernum lectorem obstupescere potest, praesertim cum oblivioni dantur tot «obscuri» modi se gerendi, apud homines per saecula et in nostra quoque aetate vigentes. In Vetere Testamento prophetarum praedicatio vehementer extollitur contra omne genus iniustitiae et violentiae, communis vel singularis, et hoc instrumentum est educationis quod Deus suo populo tradidit, tamquam praeparationem ad Evangelium. Quapropter erroneum est eos praetermittere locos sacrae Scripturae, qui nobis afferunt difficultates. Potius conscii simus oportet harum paginarum lectionem exigere ut congruentem acquiramus peritiam per formationem quae textus explanet in eorum contextu historico-litterario et in prospectu christiano, «cuius maxima velut clavis interpretatoria Evangelio et novo Iesu Christi mandato constat in Paschatis mysterio impleto».<sup>140</sup> Quapropter hortamur doctos viros et pastores ad iuvandos fideles omnes ut accedant ad has quoque paginas per lectionem quae earum significationem sub luce mysterii Christi manifestet.

#### *Christiani et Hebraei coram Sacris Litteris*

43. Artas si perpendimus necessitudines quae Novo Testamento cum Vetere intercedit, sponte nunc mentem vertimus ad peculiare vinculum quod emergit inter Christianos et Hebraeos, vinculum nullo unquam tempore obliviscendum. Summus Pontifex Ioannes Paulus II asseruit Hebraeis: vos estis «fratres nostri praedilecti» in fide Abrahae, nostri patriarchae.<sup>141</sup> Haec affirmatio profecto non significat retractationem discidorum quae in Novo Testamento declarantur quoad Veteris Testamenti institutiones, nec minore ratione quoad consummationem sacrarum Scripturarum in mysterio Iesu Christi, qui probatus est

<sup>140</sup> *Propositio 29.*

<sup>141</sup> IOANNES PAULUS II, *Nuntius ad Rabbinum Principem Romae* (22 Maii 2004): *Insegnamenti*, XXVII,1 (2004), 655.

tamquam Messias et Dei Filius. Attamen haec alta et absoluta differentia mutuam inimicitiam haudquaquam implicat. Exemplum sancti Pauli (cfr *Rom 9-11*) ostendit e contrario gestum reverentiae, aestimationis et amoris erga populum Hebraicum solum esse gestum vere christianum hac in condicione quae ad Dei consilium, plane positivum, mysteriose pertinet.<sup>142</sup> Paulus enim affirmat de Hebraeis: «Secundum electionem autem carissimi propter patres; sine paenitentia enim sunt dona et vocatio Dei!» (*Rom 11,28-29*).

Sanctus Paulus pulchram praeterea adhibet imaginem arboris olivae qua describit artiores necessitudines inter Christianos et Hebraeos: definit Ecclesiam Gentilium tamquam virgultum oleastri, insertum in arborem bonae olivae quae est populus Foederis (cfr *Rom 11,17-24*). Haurimus ergo nostrum nutrimentum ex iisdem radicibus spiritalibus. Convenimus tamquam fratres, fratres qui invicem in quibusdam suae historiae temporibus hostiliter se gerebant, sed nunc firmiter pontes duraturae amicitiae construere student.<sup>143</sup> Asseruit etiam Summus Pontifex Ioannes Paulus II: «Multa communia habemus. Plurima simul facere possumus pro pace, pro iustitia et pro mundo magis fraterno et humano».<sup>144</sup>

Confirmare iterum cupimus quam pretiosus sit Ecclesiae *dialogus cum Hebraeis*. Bonum est, ubi opportunum videtur, ut occasiones dari possint etiam publice conveniendi et conferendi quae foveant incrementum reciprocae cognitionis, mutuae aestimationis et cooperationis in ipsa quoque sacrarum Scripturarum perscrutatione.

<sup>142</sup> Cfr PONTIFICIA COMMISSIO BIBLICA, *Il popolo ebraico e le sue sacre Scritture nella Bibbia cristiana* (24 Maii 2001), 87: *Ench. Vat.*, 20, n. 1150.

<sup>143</sup> Cfr BENEDICTUS XVI, *Salutatio in Aeroportu internationali Ben Gurion in Tel Aviv* (15 Maii 2009): *Insegnamenti V,1* (2009), 847-849.

<sup>144</sup> IOANNES PAULUS II, *Allocutio ad Rabbinos Principes Israelis* (23 Martii 2000): *Insegnamenti*, XXIII, 1 (2000), 434.

*Interpretatio fundamentalistica sacrae Scripturae*

44. Mens quam hucusque vertere voluimus ad argumentum hermeneuticae biblicae in variis eius aspectibus sinit nobis nunc rem attingere, quae saepius apparuit in synodali disceptatione circa interpretationem fundamentalisticam sacrae Scripturae.<sup>145</sup> Ad hoc quod attinet argumentum Pontificia Commissio Biblica in documento *De interpretatione Bibliorum in Ecclesia* indicia edidit adhuc valida. Hoc in contextu monere praesertim cupimus de his lectionibus quae textum sacrum in authentica eius natura non servant, quaeque fovent *interpretationes subiectivas et arbitrarias*. Nam interpretatio «ad litteram», quam lectio fundamentalistica propugnat, revera constituit proditorem sensus sive litteralis sive spiritualis, viam aperiens variis immoderatis usibus, diffundens exempli gratia antiecclesiales ipsarum Scripturarum interpretationes. Aspectus perquam deleterius consistit in re quae efficit ut haec lectio fundamentalistica, «dum recusat historicam indolem agnoscere revelationis biblicae, incapax fit plane accipiendi veritatem ipsius Incarnationis. Fundamentalismus devitat artam coniunctionem inter divinum et humanum in relationibus ad Deum. ... Hanc ob rationem propendit ad textum biblicum considerandum veluti ad litteram dictatum a Spiritu atque agnoscere nequit Verbum Dei conceptum esse in sermone et locutione propriis determinatae aetatis».<sup>146</sup> E contra, christianismus percipit *in verbis hoc* Verbum, ipsum *Logon*, quod mysterium suum per talem multipliciter realitatemque humanae historiae extendit.<sup>147</sup> Vera responsio ad fundamentalisticam lectionem haec est: «Credientium lectio sacrae Scripturae, quae ab antiquo in Ecclesiae traditione facta est». Ipsa «quaerit

<sup>145</sup> Cfr *Propositiones* 46. 47.

<sup>146</sup> PONTIFICIA COMMISSIO BIBLICA, *L'interpretazione della Bibbia nella Chiesa* (15 Aprilis 1993), I, F: *Ench. Vat.*, 13, n. 2974.

<sup>147</sup> Cfr BENEDICTUS XVI, *Allocutio Lutetiae Parisiorum ad viros culturae de- ditos apud Collegium a Bernardinis* (12 Septembris 2008): *AAS* 100 (2008), 726.

salutis veritatem pro vita uniuscuiusque christifidelis et pro Ecclesia. Huiusmodi lectio biblicae traditionis historicam qualitatem agnoscit. Propter hanc ipsam qualitatem, relate ad testimonium historiae, vivus sensus percipitur sacrarum Scripturarum, quae ad credentium vitam etiam hoc nostro tempore destinantur»,<sup>148</sup> in quo autem haud ignoratur humana mediatio inspirati textus eiusque genera litteraria.

*Dialogus inter pastores, theologos et exegetas*

45. Authentica fidei hermeneutica secum fert quaedam consecretaria magni momenti in provincia pastoralis actuositatis Ecclesiae. Ideo Patres synodales hanc ad rem commendaverunt exempli gratia magis assiduam necessitudinem inter pastores, exegetas et theologos. Bonum videtur ut Conferentiae Episcoporum foveant hos conventus, «quo maior promoveatur communicatio in servitum Divini Verbi».<sup>149</sup> Huiusmodi cooperatio adiuvabit omnes ad proprium opus melius perficiendum pro universa Ecclesia. Nam esse in prospectu operis pastoralis significat, etiam iuxta studiosos viros, stare coram textu sacro in eius natura communicationis quam Dominus facit hominibus pro eorundem salute. Idcirco, sicut affirmat Constitutio dogmatica *Dei Verbum*, suadetur ut «exegetae autem catholici, aliique sacrae theologiae cultores, collatis sedulo viribus, operam dent oportet, ut sub vigilantia sacri magisterii, aptis subsidiis divinas Litteras ita investigent et proponant, ut quam plurimi divini verbi administrari possint plebi Dei Scripturarum pabulum fructuose suppeditare, quod mentem illuminet, firmet voluntates, hominum corda ad Dei amorem accendat».<sup>150</sup>

<sup>148</sup> *Propositio 46.*

<sup>149</sup> *Propositio 28.*

<sup>150</sup> CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de divina Revelatione *Dei Verbum*, 23.

46. Cum conscia sit Ecclesia se habere fundamentum in Christo, Dei Verbo carne facto, Synodus in aspectum proferre voluit cardinem biblicorum studiorum in dialogo oecumenico, plena manifestatione unitatis omnium credentium in Christum considerata.<sup>151</sup> In ipsa enim Scriptura invenimus flagrantem orationem Iesu ad Patrem ut omnes eius discipuli unum sint, ut mundus credat (cfr *Io* 17,21). Haec omnia confirmant et nos suadent audire et meditari simul Scripturas urgere nos ad veram, etiamsi adhuc non plenam, communionem vivendam;<sup>152</sup> «Scripturae igitur in communi auditae sollicitant in dialogum caritatis et dialogum veritatis accrescunt».<sup>153</sup> Nam audire simul Verbum Dei, peragere *lectionem divinam* Bibliorum, admiratione affici de Verbi Dei novitate, quae numquam veterascit nec exhaurietur, nostram evincere surditatem his verbis quae ad nostras opiniones aut praeiudicia non conformantur, audire ea et perscrutari in credentium omnium temporum communionem: haec omnia iter efficiunt quod percurrendum est ad unitatem fidei consequendam, tamquam responsum ad Verbi auditionem.<sup>154</sup> Magni ponderis sane huiusmodi fuerunt verba Concilii Vaticani II: «Sacra eloquia in ipso dialogo [oecumenico] eximia sunt instrumenta in potenti manu Dei ad illam unitatem adipiscendam, quam Salvator omnibus hominibus exhibet».<sup>155</sup> Idcirco bonum est augere studium, comparisonem et oecumenicas celebrationes Verbi Dei, dummodo vigentes normae atque diversae traditiones ob-

<sup>151</sup> Animadvertere tamen oportet, quod attinet ad ita dictos Libros Deuterocanonicos Veteris Testamenti eorumque inspirationem, Catholicos et Orthodoxos non habere exacte eundem canonem biblicum ac Anglicanos et Protestantibus.

<sup>152</sup> Cfr *Relatio post disceptationem*, 36.

<sup>153</sup> *Propositio* 36.

<sup>154</sup> Cfr BENEDICTUS XVI, *Allocutio ad XI Ordinarium Consilium Secretariae Generalis Synodi Episcoporum* (25 Ianuarii 2007): *AAS* 99 (2007), 85-86.

<sup>155</sup> CONC. OECUM. VAT. II, Decr. de Oecumenismo *Unitatis redintegratio*, 21.

serventur.<sup>156</sup> Haec celebrationes conferunt ad oecumenicam causam et, cum in eorum vero sensu vivuntur, constituunt intensa momenta authenticae orationis, qua rogatur Deus ut festinet optatum diem quo omnes ad eandem mensam accedere et ex uno calice bibere valeamus. In iusta tamen et laudabili promotione harum celebrationum ita fiat ut ipsae non proponantur fidelibus uti substitutio ritus participandi sanctam Missam festivo praecepto servandam.

Hoc in opere investigationis et orationis aequo animo agnoscimus etiam hos aspectus qui postulant ut altius exquiratur quique longe absunt, sicut exempli gratia comprehensio subiecti auctoritate praediti circa interpretationem in Ecclesia et decretorium Magisterii munus.<sup>157</sup>

Cupimus insuper in lucem proferre ea quae Patres synodales, hoc in opere oecumenico, edixerunt de pondere *conversionum Bibliorum in varios sermones*. Novimus enim textum convertere non esse merum opus mechanicum, sed quodam sensu partem esse operis interpretationis. De hac re in memoriam Nobis revocare liceat effatum illud Venerabilis Servi Dei Ioannis Pauli II: «Qui meminit quantum in divisiones valuerint, praecipue in Occidente, disputationes de Scriptura, intellegere potest quam notabilis progressio sint eiusmodi conversiones communes».<sup>158</sup> Hoc sensu promotio communium conversionum Bibliorum pars est operis oecumenici. Hic gratias referre cupimus omnibus qui incumbunt hanc in magnam responsalitate eisque animum addere ut operam suam prosequantur.

### *Consectaria de studiorum theologorum positione*

47. Aliud consecrarium proveniens ex congruenti hermeneutica fidei pertinet ad necessitatem exhibendi implicationes quoad

<sup>156</sup> Cfr *Propositio* 36.

<sup>157</sup> Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de divina Revelatione *Dei Verbum*, 10.

<sup>158</sup> Litt. enc. *Ut unum sint* (25 Maii 1995), 44: *AAS* 87 (1995), 947.

formationem exegeticam et theologiam praesertim candidatorum ad sacerdotium. Agendum est ita ut studium sacrae Scripturae revera anima sit theologiae quoniam in ipsa Verbum Dei agnoscitur, quod hodie vertitur ad mundum, ad Ecclesiam et ad unumquemque nostrum. Magni interest ut criteria proposita in n. 12 Constitutionis dogmaticae *Dei Verbum* reapse considerentur et altius perspiciantur. Vitetur oportet ne conceptio pervestigationis scientificae neutralis censeatur erga Scripturam. Quapropter una cum studio linguarum quibus scripta sunt Biblia atque congruentium viarum interpretationis, necesse est ut alumni altam vitam spiritalem nutriant, ita ut intellegatur Scripturam comprehendi posse tantum si ipsa vivitur.

Hoc in prospectu monemus ut studium Verbi Dei, traditi et scripti, semper eveniat in profundo spiritu ecclesiali. Quem ad finem debite ratio habeatur in formatione academica doctrinae de his disciplinis ex parte Magisterii, quod «non supra verbum Dei est, sed eidem ministrat, docens non nisi quod traditum est, quatenus illud, ex divino mandato et Spiritu Sancto assistente, pie audit, sancte custodit et fideliter exponit»<sup>159</sup> hoc verbum. Idcirco providendum est ut studia perficiantur in persuasionem «sacram Traditionem, sacram Scripturam et Ecclesiae magisterium, iuxta sapientissimum Dei consilium, ita inter se connecti et consociari, ut unum sine aliis non consistat».<sup>160</sup> Exoptamus igitur ut, secundum doctrinam Concilii Vaticani II, studium sacrae Scripturae, lectae in communione cum Ecclesia universali, revera sit veluti anima studii theologici.<sup>161</sup>

### *Sancti et interpretatio Scripturae*

48. Interpretatio sacrae Scripturae nondum consummaretur si etiam illi qui *vere vixerunt Verbum Dei, id est sancti*, non au-

<sup>159</sup> CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de divina Revelatione *Dei Verbum*, 10.

<sup>160</sup> *Ibid.*

<sup>161</sup> Cfr *ibid.*, 24.

direntur.<sup>162</sup> Nam «viva lectio est vita bonorum».<sup>163</sup> Altior enim interpretatio Scripturae provenit prorsus ab iis qui se siverunt plasmani Verbo Dei per eius auditionem, lectionem assiduamque meditationem.

Non fortuito accidit ut magnae spiritualitates, quae Ecclesiae signaverunt historiam, ortae sint ex quodam manifesto Scripturae textu. Cogitamus exempli gratia de sancto Antonio Abbate, qui ductus est auditione Christi verborum: «Si vis perfectus esse, vade, vende, quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in caelo; et veni, sequere me» (*Mt* 19,21).<sup>164</sup> Nec minus movens est sanctus Basilius Magnus, qui in opere *Moralia* quaerit: «Quid est proprium fidei? Certa et indubitata persuasio veritatis verborum divinorum. (...) Quid est proprium fidelis? In huiusmodi persuasione constitui vi et auctoritate eorum quae dicta sunt, nec audere quidquam reicere, aut addere».<sup>165</sup> Sanctus Benedictus sua in *Regula* remittit ad Scripturam quae «est rectissima norma vitae humanae».<sup>166</sup> Sanctus Franciscus Assisiensis – scribit Thomas de Celano – «audiens Christi discipulos non debere aurum sive argentum seu pecuniam possidere, non peram, non sacculum, non panem, non virgam in via portare, non calceamenta, non duas tunicas habere, ... continuo exultans in spiritu Dei: “Hoc est, inquit, quod volo, hoc est quod quaero, hoc totis medullis cordis facere concupisco”». <sup>167</sup> Sancta Clara Assisiensis plene sequitur S. Francisci experientiam: «Forma vitae Ordinis Sororum Pauperum – scribit – haec est: Domini nostri Iesu Christi sanctum Evangelium observare».<sup>168</sup> Sanctus Dominicus Guzman autem «ubique se manifestabat tamquam vir

<sup>162</sup> Cfr *Propositio* 22.

<sup>163</sup> S. GREGORIUS MAGNUS, *Moralia in Iob* XXIV, VIII, 16: *PL* 76, 295.

<sup>164</sup> S. ATHANASIUS, *Vita Antonii*, 2, 4: *PL* 73, 127.

<sup>165</sup> *Moralia, Regula* LXXX, XXII: *PG* 31, 867.

<sup>166</sup> *Regula*, n. 73,3: *SC* 182, 672.

<sup>167</sup> THOMAS DE CELANO, *Vita prima S. Francisci*, IX,22.

<sup>168</sup> *Regula*, I, 1-2.



evangelicus, in verbis et operibus»<sup>169</sup> ac tales voluit etiam suos fratres praedicatores esse « viros evangelicos ». <sup>170</sup> Sancta Teresia a Iesu, Carmelitis, quae in suis scriptis iugiter recurrit ad biblicas imagines ad suam explicandam mysticam experientiam, memorat ipsum Iesum sibi id revelasse: « Omne malum mundi oritur ex hoc quia clare non cognoscuntur veritates sacrae Scripturae ». <sup>171</sup> Sancta Teresia a Iesu Infante reperit Amorem tamquam suam personalem vocationem Scripturas perscrutando, praesertim capita XII et XIII *Primae Epistulae ad Corinthios*; <sup>172</sup> ipsamet sancta attractionem Scripturarum ita describit: « Vix inspiciam Evangelium, statim odores respiro vitae Iesu et scio quo curram ». <sup>173</sup> Quisque sanctus veluti luminis radium est quod ex Dei Verbo oritur: sic insuper de sancto Ignatio de Loyola cogitamus in eius investigatione veritatis inque spiritali discrimine; de sancto Ioanne Bosco in passione pro iuvenum educatione; de sancto Ioanne Maria Vianney in conscientia magnitudinis sacerdotii veluti doni et muneris; de sancto Pio de Pietrelcina in officio instrumenti divinae misericordiae; de sancto Iosepho-Maria Escrivá in praedicatione de universali vocatione ad sanctitatem; de beata Teresia Calcuttiensi, missionaria Dei Caritatis erga ultimos, deque ceteris usque ad martyres regiminum nazistarum et communistarum, inter quos inveniuntur una ex parte sancta Teresia Benedicta a Cruce (Edith Stein), monacha carmelitis, altera autem ex parte beatus Aloisius Stepinac, cardinalis et archiepiscopus Zagrebiensis.

49. Sanctitas, Verbo Dei considerato, inseritur ita quodammodo in traditionem prophetica, in qua Verbum Dei in servitium

<sup>169</sup> B. IORDANUS DE SAXONIA, *Libellus de principiis Ordinis Praedicatorum*, 104: *Monumenta Fratrum Praedicatorum Historica*, Romae 1935, 16, p. 75.

<sup>170</sup> ORDO FRATRUM PRAEDICATORUM, *Primae Constitutiones seu Consuetudines*, II, XXXI.

<sup>171</sup> *Vita* 40,1.

<sup>172</sup> Cfr *Historia animae*, Ms B, 3r<sup>o</sup>.

<sup>173</sup> *Ibid.*, Ms C, 35v<sup>o</sup>.

assumit vitam ipsam prophetae. Hoc sensu sanctitas in Ecclesia constituit hermeneuticam Scripturae, quam nemini licet praetermittere. Spiritus Sanctus qui sacros auctores inspiravit, ipse est qui sanctos movet ut vitam tradant pro Evangelio. Ingredi in eorum scholam constituit certam viam ad suscipiendam hermeneuticam vivam et efficacem Verbi Dei.

Huius nexus inter Verbum Dei et sanctitatem testimonium habuimus XII Coetus Synodi tempore, cum die XII mensis Octobris in Foro Petriano peracta est canonizatio quattuor beatorum: presbyteri Caietani Errico, fundatoris Congregationis Missionariorum a Sacris Cordibus Iesu et Mariae; Matris Mariae Bernardae Bütler, quae orta est in Helvetia et missionaria fuit in Aequatoria et Columbia; sororis Alfonsae ab Immaculata Conceptione, quae est prima canonizata sancta orta in India; iuvenis laicae Aequatorianae Narcissae a Iesu Martillo Morán. Sua vita ipsi mundo et Ecclesiae testimonium reddiderunt perennis fecunditatis Evangelii Christi. Dominum deprecemur ut per horum sanctorum intercessionem, qui sunt canonizati ipso tempore Coetus synodalis de Verbo Dei, vita nostra sit haec «terra bona», in qua divinus Seminator semen spargere possit Verbi ut afferat in nobis fructus sanctitatis, «unum triginta et unum sexaginta et unum centum» (*Mc* 4,20).

SECUNDA PARS

*VERBUM IN ECCLESIA*

*« Quotquot autem acceperunt eum,  
dedit eis potestatem filios Dei fieri » (Io 1,12)*



## VERBUM DEI ET ECCLESIA

### *Ecclesia accipit Verbum*

50. Dominus annuntiat Verbum suum, ut accipiatur ab his qui creati sunt «per» idem Verbum. «In propria venit» (*Io* 1,11): Verbum igitur ex origine non est nobis alienum atque creatio optata est in familiari necessitudine cum vita divina. Prologus quarti Evangelii nos collocat etiam ante repudiationem erga divinum Verbum ex parte «suorum» qui «eum non receperunt» (*Io* 1,11). Eum non recipere significat eius vocem non audire, *Logos* non conformari. Ubi autem homo, etiamsi infirmus et peccator, occursui cum Christo sincere se aperit, radicatus incohat transformationem: «Quotquot autem acceperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri» (*Io* 1,12). Accipere Verbum significat sinere se ab Ipso plasmari, ita ut, per Spiritus Sancti virtutem, conformes efficiantur ad personam Christi, Filii «quasi Unigeniti a Patre» (*Io* 1,14). Initium est novae creationis, nascitur nova creatura, novus populus. Credentes, videlicet qui in oboedientia vivunt fidei, «ex Deo nati sunt» (*Io* 1,13), participes efficiuntur vitae divinae: *filii in Filio* (cfr *Gal* 4,5-6; *Rom* 8,14-17). Suggestive loquitur sanctus Augustinus, dum hunc locum commentatur Evangelii Ioannis: «Iam enim factus es per Verbum, sed oportet te refici per Verbum». <sup>174</sup> Hic vultum Ecclesiae videmus delineari tamquam rem definitam acceptione Verbi Dei quod, dum caro factum est, venit ut *suum tabernaculum inter nos* poneret (cfr *Io* 1,14). Haec Dei habitatio inter homines, haec *shekinah* (cfr *Ex* 26,1), praefigurata in Vetere Testamento, nunc adimpletur in definitiva Dei praesentia apud homines in Christo.

<sup>174</sup> *In Iohannis Evangelium Tractatus* I,12: PL 35, 1385.

*Identitas temporis Christi in Ecclesiae vita*

51. Vinculum inter Christum, Verbum Patris, et Ecclesiam intellegi non potest tamquam eventus simpliciter praeteritus, sed agitur de vitali relatione in quam ut ingrediatur unusquisque fidelis personaliter vocatur. Nam loquimur de praesentia Verbi Dei hodie inter nos: «Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi» (*Mt 28,20*). Sicut affirmavit Summus Pontifex Ioannes Paulus II: «Identitas temporis Christi et hominis cuiusvis aetatis fit in ipsius corpore, quod est Ecclesia: hac de causa Dominus discipulis suis promisit Spiritum Sanctum, qui “commemoraret” eis eosque doceret mandata sua (cfr *Io 14,26*), atque futurus esset principium saliens ad novam in mundo vitam (cfr *Io 3,5-8; Rom 8,1-13*)». <sup>175</sup> Constitutio dogmatica *Dei Verbum* exprimit hoc mysterium biblicis vocabulis dialogi nuptialis: «Deus, qui olim locutus est, sine intermissione cum dilecti Filii sui sponsa colloquitur, et Spiritus Sanctus, per quem viva vox Evangelii in Ecclesia, et per ipsam in mundo resonat, credentes in omnem veritatem inducit, verbumque Christi in eis abundanter inhabitare facit (cfr *Col 3,16*)». <sup>176</sup>

Christi Sponsa, magistra auditionis, hodie quoque fidenter iterat: «Loquere, Domine, quia audit te Ecclesia tua». <sup>177</sup> Quamobrem Constitutio dogmatica *Dei Verbum* hisce incipit verbis: «Dei Verbum religiose audiens et fidenter proclamans, Sacrosancta Synodus...». <sup>178</sup> Agitur enim de dynamica definitione vitae Ecclesiae: «Verba sunt quibus Concilium qualificantem Ecclesiae aspectum indicat: ipsa est communitas quae audit et annuntiat Verbum Dei. Ecclesia non vivit de se ipsa, sed de Evangelio atque ex Evangelio semper et iterum cursum extrahit

<sup>175</sup> Litt. enc. *Veritatis splendor* (6 Augusti 1993), 25: *AAS* 85 (1993), 1153.

<sup>176</sup> CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de divina Revelatione *Dei Verbum*, 8.

<sup>177</sup> *Relatio post disceptationem*, 11.

<sup>178</sup> N. 1.

in suo itinere. Annotatio est quam quisque christianus accipere debet ac sibimet applicare: solum qui ante omnia immergitur in Verbi auditionem, deinde ipsius praeco fieri potest». <sup>179</sup> In Verbo Dei proclamato et audito et in Sacramentis, Iesus hodie, hic et nunc, unicuique nostrum dicit: «Tuus sum Ego, me tibi trado»; ut homo accipere valeat et respondere, ipseque vicissim dicere: «Tuus sum ego». <sup>180</sup> Ecclesia apparet itaque ambitus in quo per gratiam experiri possumus quod sancti Ioannis Prologus enarrat: «Quotquot autem acceperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri» (*Io* 1,12).

#### LITURGIA PRAECIPUA VERBI DEI SEDES

##### *Verbum Dei in sacra Liturgia*

52. Quandoquidem Ecclesia habetur tamquam «*domum Verbi*», <sup>181</sup> ante omnia mens est vertenda ad sacram Liturgiam. Hic est enim praecipuus ambitus in quo Deus nos alloquitur in praesenti nostrae vitae tempore, loquitur hodie ad suum populum, qui audit et respondet. Omnis actio liturgica suapte natura sacra Scriptura imbuitur. Sicut affirmat Constitutio *Sacrosanctum Concilium*, «maximum est sacrae Scripturae momentum in liturgia celebranda. Ex ea enim lectiones leguntur et in homilia explicantur, psalmi canuntur, atque ex eius afflatu instinctuque preces, orationes et carmina liturgica effusa sunt, et ex ea significationem suam actiones et signa accipiunt». <sup>182</sup> Quinimmo, affirmandum est quod ipse Christus «praesens adest in verbo suo, siquidem Ipse loquitur dum sacrae Scripturae in Ecclesia leguntur». <sup>183</sup> Revera, «liturgica celebratio fit ipsius verbi Dei continua,

<sup>179</sup> BENEDICTUS XVI, *Allocutio ad Conventum internationalem «La sacra Scrittura nella vita della Chiesa»* (16 Septembris 2005): *AAS* 97 (2005), 956.

<sup>180</sup> Cfr *Relatio post disceptationem*, 10.

<sup>181</sup> *Nuntius conclusivus*, III,6.

<sup>182</sup> CONC. OECUM. VAT. II, Const. de sacra Liturgia *Sacrosanctum Concilium*, 24.

<sup>183</sup> *Ibid.*, 7.

plena et efficax propositio. Verbum itaque Dei in Liturgia perpetuo propositum, vivum et efficax iugiter est per Spiritus Sancti potentiam, ac operantem manifestat Patris dilectionem in sua quoad homines efficacitate indeficientem». <sup>184</sup> Ecclesia enim semper consciam se praebuit quod in actione liturgica Verbum Dei sociatur intima actione Spiritus Sancti, qui efficax reddit illud in cordibus fidelium. Revera, Paraclito inspirante, « Verbum Dei actionis liturgicae fit fundamentum et totius vitae norma atque subsidium. Ipsius ergo Spiritus operatio ... cuiusque cordi ea omnia suggerit quae in verbi Dei proclamatione pro universo fidelium coetu pronuntiantur, et dum omnium coagmentat unitatem, charismatum quoque diversitatem refovet et multiplicem operationem extollit ». <sup>185</sup>

Quapropter intellegatur et vivatur oportet vis essentialis actionis liturgicae ad Dei Verbi intellectionem. Quodammodo *fidei hermeneutica quatenus ad sacram Scripturam referenda est semper ad liturgiam*, ubi Verbum Dei celebratur tamquam actuale ac vivens verbum: « Sic in Liturgia Ecclesia fideliter sequitur modum legendi et interpretandi Scripturas sacras, quo ipse Christus, qui ab 'hodie' eventus sui, ad Scripturas omnes perscrutandas adhortatur, usus est ». <sup>186</sup>

Hic sapiens etiam apparet paedagogia Ecclesiae quae proclamat et audit sacram Scripturam iuxta cyclum anni liturgici. Haec Verbi Dei in tempus dilatatio accidit praesertim in celebratione eucharistica et in Liturgia Horarum. In omnium centro splendet Mysterium Paschale, quocum nectuntur omnia Christi et historiae salutis mysteria quae sacramentaliter perficiuntur: « Mysteria redemptionis ita recolens, divitias virtutum atque meritorum Domini sui, adeo ut omni tempore quodammodo praesentia reddantur, fidelibus aperit [Ecclesia], qui ea attingant et

<sup>184</sup> *Ordo Lectionum Missae*, 4.

<sup>185</sup> *Ibid.*, 9.

<sup>186</sup> *Ibid.*, 3; cfr *Lc* 4,16-21; 24,25-35.44-49.



gratia salutis repleantur». <sup>187</sup> Hortamur ergo Ecclesiae Pastores et operatores pastorales ad ita agendum ut cuncti fideles educantur ad gustandum altum sensum Verbi Dei quod anno vertente in liturgia explanatur, ostendendo fundamentalia nostrae fidei mysteria. Ab hoc pendet etiam rectus aditus ad sacram Scripturam.

### *Sacra Scriptura et Sacramenta*

53. In agitando argumento de pondere liturgiae ad intellectionem Verbi Dei, Synodus Episcoporum extollere voluit etiam vinculum inter sacram Scripturam et actionem sacramentalem. Valde opportunum est perscrutari nexum inter Verbum et Sacramentum, sive in Ecclesiae actione pastorali sive in theologica perinvestigatione. <sup>188</sup> Procul dubio «liturgia Verbi est elementum decretorium in celebratione cuiusque sacramenti Ecclesiae»; <sup>189</sup> attamen in praxi pastorali fideles non semper conscii sunt huius nexus nec unitatem percipiunt inter gestum et verbum. «Est munus *sacerdotum et diaconorum*, potissimum cum sacramenta administrent, in lucem exponere unitatem quam Verbum et Sacramentum constituunt in Ecclesiae ministerio». <sup>190</sup> Etenim in necessitudine inter Verbum et gestum sacramentalem liturgice ostenditur actio propria Dei in historia per *indolem performativam* ipsius Verbi. Nam in historia salutis non datur disiunctio inter Dei *dicta et facta*; ipse Sermo eius vivus et efficax praesentatur (cfr *Heb* 4,12), sicut ceterum indicat ipsa significatio Hebraici effati *dabar*. Eodem modo in actione liturgica adsumus coram eius Verbo quod efficit ea quae dicit. Dum Dei populus

<sup>187</sup> CONC. OECUM. VAT. II, Const. de sacra Liturgia *Sacrosanctum Concilium*, 102.

<sup>188</sup> Cfr BENEDICTUS XVI, Adhort. ap. postsynodalis *Sacramentum caritatis* (22 Februarii 2007), 44-45: *AAS* 99 (2007), 139-141.

<sup>189</sup> PONTIFICIA COMMISSIO BIBLICA, *L'interpretazione della Bibbia nella Chiesa* (15 Aprilis 1993), IV, C, 1: *Ench. Vat.*, 13, n. 3123.

<sup>190</sup> *Ibid.*, III,B,3: *Ench. Vat.*, 13, n. 3056.

ducitur ad detegendum indolem performativam Verbi Dei in liturgia, iuvatur etiam ad actionem Dei in historia salutis inque propria vita uniuscuiusque sui membri percipiendam.

### *Verbum Dei et Eucharistia*

54. Quod affirmatur in genere quoad nexum inter Verbum et Sacramenta, penitius agnoscitur cum agimus de eucharistica celebratione. Ceterum, intima coniunctio inter Verbum et Eucharistiam oritur e testimoniis Scripturae (cfr *Io* 6; *Lc* 24), comprobatur a Patribus Ecclesiae et iterum confirmatur a Concilio Vaticano II.<sup>191</sup> Hac in re cogitamus de magno sermone Iesu super pane vitae in synagoga vici Capharnaum (cfr *Io* 6,22-69), in cuius substrato habetur comparatio inter Moysen et Iesum, videlicet inter eum qui cum Deo loquebatur facie ad faciem (cfr *Ex* 33,11) et eum qui Deum revelavit (cfr *Io* 1,18). Nam sermo de pane evocat donum Dei, quod Moyses fecit suo populo per manna in deserto quodque revera est *Torah*, Verbum Dei quod vivificat (cfr *Ps* 119; *Prv* 9,5). Iesus in seipso ad rem perducit antiquam figuram: «Panis enim Dei est, qui descendit de caelo et dat vitam mundo... Ego sum panis vitae» (*Io* 6,33-35). Hic «Lex Persona facta est. In occurso cum Iesu, ut ita dicamus, alimur ab ipso Deo vivente, manducamus revera “panem de caelo”».<sup>192</sup> In

<sup>191</sup> Cfr Const. de sacra Liturgia *Sacrosanctum Concilium*, 48.51.56; Const. dogm. de divina Revelatione *Dei Verbum*, 21.26; Decr. de activitate missionali Ecclesiae *Ad gentes*, 6.15; Decr. de presbyterorum ministerio et vita *Presbyterorum ordinis*, 18; Decr. de accommodata renovatione vitae religiosae *Perfectae caritatis*, 6. In magna Ecclesiae Traditione invenimus magni momenti effata sicut: «Corpus Christi intellegitur etiam [...] Scriptura Dei»: WALTRAMUS, *De unitate Ecclesiae conservanda*: 1, 14, ed. W. Schwenkenbecher, Hannoverae 1883, p. 33; «Porro, quia caro Domini verus est cibus, et sanguis eius verus est potus, ... hoc solum habemus in praesenti saeculo bonum, si vescamur carne eius et cruore potemur, non solum in mysterio, sed etiam in Scripturarum lectione. Verus enim cibus et potus, qui ex verbo Dei sumitur, scientia Scripturarum est»: S. HIERONYMUS, *Commentarius in Ecclesiasten*, 13: *PL* 23, 1092 A.

<sup>192</sup> J. RATZINGER (BENEDICTUS XVI), *Gesù di Nazaret*, Milano 2007, 311.

sermone in vico Capharnaum altius explicatur Prologus Ioannis: si illic *Logos* Dei caro efficitur, hic caro haec fit «*panis*» datus pro mundi vita (cfr *Io* 6,51), itaque adumbratur donum quod Iesus de seipso oblaturus est in mysterio crucis, confirmatum affirmatione de eius sanguine, dato ad «*bibendum*» (cfr *Io* 6,53). Hoc modo in mysterio Eucharistiae ostenditur quid sit verum manna, verus panis de caelo: est *Logos* Dei caro factus, qui seipsum donavit pro nobis in Mysterio Paschali.

Enarratio Lucae de discipulis castelli Emmaus nobis ansam concedit amplius meditandi de nexu inter auditionem Verbi et fractionem panis (cfr *Lc* 24,13-35). Iesus occurrit eis die post sabbatum, audit verba frustratae eorum spei et, socius se faciens cum illis in itinere, «interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quae de ipso erant» (24,27). Hi duo discipuli Scripturas novo modo inspicere incipiunt una cum hoc viatore qui eorum vitae tam inopinata familiarem se praebet. Quod illis diebus eventum est non amplius apparet tamquam frustratio, sed tamquam consummatio novumque initium. Attamen haec etiam verba duobus discipulis nondum sufficere videntur. Evangelium secundum Lucam dicit nobis: «Aperti sunt oculi eorum et cognoverunt eum» (24,31) tantummodo cum Iesus accepit panem, dixit benedictionem, fregit eum deditque eis, dum prius «oculi autem illorum tenebantur, ne eum agnoscerent» (24,16). Per praesentiam Iesu, primum cum verbis, deinde cum gestu fractionis panis, discipuli Eum agnoscere potuerunt, et ipsi possunt denuo persentire modo tamen novo quod iam antea cum Eo vixerant: «Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur nobis in via et aperiret nobis Scripturas?» (24,32).

55. Ex dictis hactenus apparet quomodo Scriptura ipsa inducat ad percipiendum indissolubilem nexum cum Eucharistia. «Proinde prae oculis semper habeatur oportet verbum divinum in Liturgia ab Ecclesia lectum et annuntiatum velut ad foederis sacrificium et *gratiae* convivium, scilicet ad Eucharistiam,

tamquam ad finem suum ducere». <sup>193</sup> Verbum et Eucharistia ita coniunctim sese pertinent ut alterum sine altera intellegi nequeat: Verbum Dei fit caro sacramentalis in eventu eucharistico. Eucharistia aperit nos ad intellegendam sacram Scripturam, quemadmodum sacra Scriptura vicissim illuminat et exponit Mysterium eucharisticum. Dum enim realis Domini praesentia in Eucharistia non agnoscitur, intellectio Scripturae haud conclusa permanet. Quapropter «Dei verbum et eucharisticum mysterium eadem veneratione, etsi non eodem cultu, Ecclesia prosecuta est atque semper et ubique prosequi voluit atque sancivit, cum, exemplo Conditoris impulsa, ab eius paschali mysterio celebrando numquam cessaverit, in unum conveniens ut legeret ‘in omnibus Scripturis, quae de ipso erant’ (Lc 24,27) et opus salutis per memoriale Domini et sacramenta exerceret». <sup>194</sup>

#### *Sacramentalis qualitas Verbi*

56. Postquam reperta est indoles performativa Verbi Dei in actione sacramentali atque altior ratio habita est necessitudinis inter Verbum et Eucharistiam, conducimur ad ingrediendum in magni ponderis argumentum, quod apparuit in Coetu Synodi, pertinens ad *qualitatem sacramentalem Verbi*. <sup>195</sup> Qua de re aequum est ut memoretur Summum Pontificem Ioannem Paulum II relationem fecisse «ad *sacramentalem* Revelationis rationem atque, nominatim, ad eucharisticum signum ubi individua unitas inter rem ipsam eiusque significationem permittit ut mysterii capiatur altitudo». <sup>196</sup> Ex quo intellegimus in origine qualitatis sacramentalis Verbi Dei proprio sensu inveniri mysterium incarnationis: «Verbum caro factum est» (Io 1,14), realitas revelati mysterii nobis offertur in «carne» Filii. Hoc modo Verbum Dei redditur comprehensibile ex parte fidei per verborum gestu-

<sup>193</sup> *Ordo Lectionum Missae*, 10.

<sup>194</sup> *Ibid.*

<sup>195</sup> Cfr *Propositio* 7.

<sup>196</sup> Litt. enc. *Fides et ratio* (14 Septembris 1998), 13: *AAS* 91 (1999), 16.

umque humanorum « signum ». Fides igitur Dei Verbum agnoscit dum gestus et verba accipit quibus Ipsemet se nobis exhibet. Idcirco sacramentalis conspectus revelationis indicat modum historico-salvificum quo Verbum Dei ingreditur in tempus et spatium, tamquam interlocutor hominis, qui vocatur ad eius domum in fide excipiendum.

Qualitas sacramentalis Verbi ita intellegi potest in analogia cum praesentia reali Christi sub speciebus panis et vini consecratis.<sup>197</sup> Accedentes ad altare ac participantes convivium eucharisticum, nos realiter communicamus corpus et sanguinem Christi. Proclamatio Verbi Dei in celebratione postulat ut agnoscamus Christum ipsum adesse et ad nos se vertere<sup>198</sup> ut excipiamur. De modo se gerendi erga Eucharistiam atque erga Verbum Dei sanctus Hieronymus affirmat: « Legimus sanctas Scripturas. Ego corpus Iesu Evangelium puto; sanctas Scripturas puto doctrinam eius. Et quando dicit: *Qui non comederit carnem meam et biberit sanguinem meum (Io 6,53)*, licet et in Mysterio [eucharistica] possit intellegi, tamen vere corpus Christi et sanguis eius sermo Scripturarum est, doctrina divina est. Si quando imus ad Mysterium [eucharisticum], si micula ceciderit, periclitamur. Si quando audimus Sermonem Dei, et Sermo Dei et caro Christi et sanguis eius in auribus infunditur, et nos aliud cogitamus, in quantum periculum incurrimus? ». <sup>199</sup> Christus, realiter praesens sub speciebus panis et vini, adest simili modo etiam in Verbo in liturgia proclamato. Altius sensum reperire sacramentalis qualitatis Verbi Dei potest igitur fovere magis unitariam intellectionem mysterii revelationis in « gestis verbisque intrinsece inter se connexis », <sup>200</sup> concurrente ad vitam spiritalem fidelium navitatemque pastorem Ecclesiae.

<sup>197</sup> Cfr *Catechismus Catholicae Ecclesiae*, 1373-1374.

<sup>198</sup> Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Const. de sacra Liturgia *Sacrosanctum Concilium*, 7.

<sup>199</sup> *In Psalmum 147: CCL 78,337-338.*

<sup>200</sup> CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de divina Revelatione *Dei Verbum*, 2.

57. In lucem proferens nexum inter Verbum et Eucharistiam, Synodus iure voluit in memoriam referre etiam quosdam aspectus celebrationis coniunctos cum Verbi ministerio. Praesertim mentionem facere cupimus de magno pondere Lectionarii. Instauratio incohata a Concilio Vaticano II<sup>201</sup> ostendit suos fructus, augens accessum ad sacram Scripturam quae abundanter offertur, maxime in liturgiis dominico die celebrandis. Praesens structura, praeterquam frequenter exhibet maioris momenti textus Scripturae, favet comprehensioni unitatis divini consilii per congruentiam inter lectiones Veteris et Novi Testamenti, « cuius centrum est Christus in suo paschali mysterio recolendus ».<sup>202</sup> Quaedam difficultates quae manent in comprehensione nexuum inter lectiones utriusque Testamenti perpendendae sunt sub luce lectionis canonicae, id est intrinsecae unitatis omnium Bibliorum. Ubi deprehenditur necessitas, ibi congruae auctoritates possunt providere ut publici iuris fiant subsidia quae faciliorem efficiant intellectionem nexus inter lectiones propositas in Lectionario, quae omnes coram plebe liturgica proclamandae sunt prout praescribit liturgia cotidiana. Quaedam aliae quaestiones vel difficultates significantur Congregationi de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum.

Insuper non est obliviscendum actuale Lectionarium ritus Latini frui quoque momento oecumenico, quia adhibetur ac aestimatur etiam a confessionibus plenam communionem cum Ecclesia Catholica nondum ineuntibus. Diverso quidem modo praesentatur quaestio Lectionarii in liturgiis Ecclesiarum Catholicarum Orientalium adhibiti, cuius Synodus quaerit ut « auctoritative examini subiciatur »<sup>203</sup> secundum propriam traditionem

<sup>201</sup> Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Const. de sacra Liturgia *Sacrosanctum Concilium*, 107-108.

<sup>202</sup> *Ordo Lectionum Missae*, 66.

<sup>203</sup> *Propositio* 16.

atque facultates Ecclesiarum *sui iuris*, prae oculis habendo, hic etiam, oecumenica rerum adiuncta.

### *Proclamatio Verbi et ministerium lectoratus*

58. Iam in Coetu synodali de Eucharistia maior postulabatur cura de Verbi Dei proclamatione.<sup>204</sup> Sicut notum est, dum Evangelium proclamatur a presbytero vel diacono, prior et altera lectio in ritu Latino proclamantur a quodam lectore deputato, viro vel femina. Hic voces Patrum synodalium colligere volumus qui etiam, his in adiunctis, in aspectum necessitatem protulerunt adhibendi idoneam formationem<sup>205</sup> ut lectoris *munus* in celebratione liturgica rite exerceatur ac praesertim ministerium lectoratus, quod, qua tale, in ritu Latino est ministerium laicale.<sup>206</sup> Necessesse est ut lectores ad hoc officium deputati, etiamsi hanc non susceperint institutionem, idonei sint et diligenter praeparantur. Huiusmodi praeparatio sit oportet tam biblica et liturgica, quam technica: «Institutio biblica eo tendere debet ut lectores possint lectiones in proprio contextu comprehendere, et centrum nuntii revelati lumine fidei intellegere. Liturgica institutio lectoribus praebere debet facultatem aliquam percipiendi sensum et structuram liturgiae Verbi ac rationes connexionis inter Verbi liturgiam et liturgiam eucharisticam. Praeparatio technica lectores aptiores in dies reddere debet ad artem coram populo legendi sive viva voce, sive ope instrumentorum recentium ad vocem amplificandam».<sup>207</sup>

### *Momentum homiliae*

59. «Varia etiam sunt officia et munera quae competunt cuique quoad Verbum Dei, ita ut ipsum verbum fideles auscultent atque meditentur, illi vero soli exponant ad quos ex sacra ordi-

<sup>204</sup> Cfr BENEDICTUS XVI, Adhort. ap. postsynodalis *Sacramentum caritatis* (22 Februarii 2007), 45: *AAS* 99 (2007), 140-141.

<sup>205</sup> Cfr *Propositio* 14.

<sup>206</sup> Cfr *Codex Iuris Canonici*, cann. 230 §2; 204 §1.

<sup>207</sup> *Ordo Lectionum Missae*, 55.

natione magisterii munus spectat, vel quibus idem ministerium committitur exercendum»,<sup>208</sup> id est episcopis, presbyteris et diaconis. Unde intellegitur sollicitudo quam exhibuit Synodus de homiliae argumento. Iam in Adhortatione apostolica postsynodali *Sacramentum caritatis* rettulimus: «Cum Dei Verbum conspicuum obtineat locum, necessitas existit meliorem efficiendi homiliae qualitatem. Ipsa enim “est pars actionis liturgicae”; munus habet fovendi pleniorum intellectum efficaciamque Verbi Dei in vita fidelium». <sup>209</sup> Revera homilia nuntium Scripturae exsequitur, ita ut fideles inducantur ad praesentiam et efficaciam Verbi Dei hodierno propriae vitae tempore detegendam. Ipsa ad comprehensionem mysterii quod celebratur conducere debet, ad missionem invitare, plebem praeparans ad fidei professionem, ad orationem universalem et ad liturgiam eucharisticam. Quapropter ii qui peculiare ob ministerium ad praedicationem deputantur, hoc munus in animo habeant. Vitentur oportet homiliae genericae et abstractae, quae Verbi Dei simplicitatem obtegunt, sicut etiam inutiles evagationes quae in periculum veniunt ne mentem potius in praedicatorem quam in cor evangelici nuntii inducant. Fidelibus ut clare pateat oportet praedicatoris munus esse Christum monstrandi, qui centrum constituere debet omnis homiliae. Quamobrem praedicatores necesse est familiaritatem assiduumque usum excolant cum textu sacro;<sup>210</sup> ad homiliam se praeparent in meditatione et oratione ut praedicent cum persuasione et passione. Coetus synodalis monuit ut sequentes ponderentur interrogationes: «Quid proclamatae lectiones dicant. Quid mihimet ipsi dicant. Quid communitati, ratione eiusdem adiunctorum habita, sim dicturus». <sup>211</sup> «Praedicator a Verbo Dei, quod annuntiat... se sinat primum compelli»,<sup>212</sup> quoniam, ut

<sup>208</sup> *Ibid.*, 8.

<sup>209</sup> N. 46: *AAS* 99 (2007), 141.

<sup>210</sup> Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de divina Revelatione *Dei Verbum*, 25.

<sup>211</sup> Cfr *Propositio* 15.

<sup>212</sup> *Ibid.*



ait sanctus Augustinus, «Verbi Dei enim inanis est forinsecus praedicator, qui non est intus auditor».<sup>213</sup> Accurate apparetur homilia pro diebus dominicis et pro sollemnitatibus; sed ne in feriis quidem hebdomadae in Missis *cum populo*, quando fieri potest, negligenda est occasio breves offerendi considerationes, accommodatas ad rerum adiuncta, quibus fideles adiuventur ad Verbum auditum accipiendum et frugiferum reddendum.

### *Opportunitas Directorii homiletici*

60. Praedicare modo accommodato ad Lectionarium vera est ars quae est excolenda. Quapropter, obsequentes iis quae sunt postulata superiore in Synodo,<sup>214</sup> petimus ab expertis auctoritatibus ut, quatenus ad *Compendium eucharisticum*,<sup>215</sup> instrumenta etiam praeparent et subsidia apta quibus ministri iuventur ad proprium munus melius explendum, sicut exempli gratia Directorium de homilia, ita ut praedicatores in eo invenire valeant utile auxilium quo ad ministerium exsequendum se praeparent. Prout nobis memorat sanctus Hieronymus, praedicatio propriae vitae testimonio est confirmanda: «Non confundant opera sermonem tuum, ne, cum in ecclesia loqueris, tacitus quilibet respondeat: “Cur haec ipse non facis?” ... Sacerdotis Christi mens osque concordent».<sup>216</sup>

### *Verbum Dei, Reconciliatio et Unctio infirmorum*

61. Eucharistia centrum haud dubie occupat vinculi inter Verbum Dei et Sacramenta, attamen extollere iuvat momentum sacrae Scripturae in ceteris quoque Sacramentis, praesertim de

<sup>213</sup> *Sermo* 179,1: *PL* 38, 966.

<sup>214</sup> Cfr BENEDICTUS XVI, Adhort. ap. postsynodalis *Sacramentum caritatis* (22 Februarii 2007), 93: *AAS* 99 (2007), 177.

<sup>215</sup> CONGREGATIO DE CULTU DIVINO ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM, *Compendium eucharisticum* (25 Martii 2009), Città del Vaticano 2009.

<sup>216</sup> *Epistula* 52,7: *CSEL* 54, 426-427.

sanatione: agitur nempre de sacramento Reconciliationis seu Paenitentiae, ac de sacramento Unctionis infirmorum. Relatio ad sacram Scripturam in his sacramentis saepe negligitur. Necessesse est, e contra, ut ipsi locus concedatur qui ad eam pertinet. Etenim minime est obliviscendum quod «Divinus Sermo est Verbum reconciliationis, quia in ipso Deus in suam gratiam omnia iterum induxit (cfr *2 Cor* 5,18-20; *Eph* 1,10). Propter misericordis Dei condonationem, quae in Iesu caro facta est, peccator surgit».<sup>217</sup> «Per verbum Dei enim fidelis illuminatur ad peccata sua dignoscenda, ad conversionem vocatur et ad fiduciam in Dei misericordia».<sup>218</sup> Quo vis reconciliatrix Verbi Dei altius inspiciatur, suadetur ut singuli paenitentes se praeparent ad confitenda peccata meditantes opportunum locum sacrae Scripturae et confessionem ordiri possint legendo vel audiendo quandam admonitionem biblicam, prout in proprio ritu praevium est. Manifestans autem suam contritionem expedit ut paenitens adhibeat «orationem ex verbis sacrae Scripturae compositam»,<sup>219</sup> propositam in ritu. Cum fieri potest, iuvat ut in peculiaribus anni temporibus vel cum detur opportunitas, confessio individualis plurimorum paenitentium fiat intra celebrationes paenitentiales, uti prostant in rituali, dummodo diversarum liturgicarum traditionum reverentia habeatur, quo per usum congruentium lectionum celebrationi Verbi maius spatium dari possit.

Etiam quod attinet ad sacramentum Unctionis infirmorum, meminisse iuvat ut «Virtus medendi, quae divino Verbo intime adhaeret, vivaciter compellat in perpetuam auditoris conversionem».<sup>220</sup> Sacra Scriptura innumeras continet paginas consolationis, sustentationis et sanationis quae per Dei virtutem sint patratae. Praesertim memoretur oportet Iesum proximum fuisse patientibus, et Ipsum, Verbum Dei incarnatum, dolores

<sup>217</sup> *Propositio* 8.

<sup>218</sup> *Ritus Paenitentiae*, 17.

<sup>219</sup> *Ibid.*, 19.

<sup>220</sup> *Propositio* 8.

nostros tulisse atque pro hominis amore passum esse, ita aegrotationi et morti sensum tribuendo. Oportet quidem in paroeciis ac potissimum in valetudinariis, secundum rerum adiuncta, Sacramentum infirmorum modo communitario celebretur. His in occasionibus amplum detur spatium celebrationi Verbi necnon fideles infirmi adiuventur ad suam doloris condicionem fideliter vivendam, in unione cum sacrificio redemptivo Christi qui nos liberat a malo.

### *Verbum Dei et Liturgia Horarum*

62. Inter orationis formas quae sacram Scripturam exaltant absque dubio suum locum obtinet Liturgia Horarum. Patres synodales affirmaverunt quod ipsa «species est privilegiaria divini Verbi audiendi, nam efficit, ut fideles pertingant sacram Scripturam et vivam Traditionem Ecclesiae».<sup>221</sup> Ante omnia memoretur oportet sublimis dignitas theologica et ecclesialis huius precatio- nis. Nam «in Liturgia Horarum Ecclesia, sacerdotale Capitis sui munus exercens, “sine intermissione” (*1 Thess 5,17*) Deo hostiam laudis offert, id est fructum labiorum confitentium nomini eius (cfr *Heb 13,15*). Haec oratio est “vox ipsius Sponsae, quae Spon- sum alloquitur, immo etiam oratio Christi cum ipsius Corpore ad Patrem” ».<sup>222</sup> Concilium Vaticanum II de hac re affirmavit: «Omnes proinde qui haec praestant, tum Ecclesiae officium ex- plent, tum summum Sponsae Christi honorem participant, quia laudes Deo persolventes stant ante thronum Dei nomine Matris Ecclesiae».<sup>223</sup> In Liturgia Horarum, tamquam publica Ecclesiae oratione, ostenditur christianum propositum sanctificationis to- tius diei, qui modulate volvitur auditione Verbi Dei et oratione psalmorum, ita ut omnis actuositas in laudem Deo oblata suam inveniatur rationem.

<sup>221</sup> *Propositio 19.*

<sup>222</sup> *Institutio generalis de Liturgia Horarum, III,15.*

<sup>223</sup> *Const. de sacra Liturgia Sacrosanctum Concilium, 85.*

Qui ob vitae statum Liturgiae Horarum recitatione tenentur, hoc munus fideliter vivant in totius Ecclesiae beneficium. Episcopi, presbyteri et diaconi ad sacerdotium aspirantes, qui ab Ecclesia celebrandi eam mandatum receperunt, singulis diebus cunctas Horas absolvere debent.<sup>224</sup> Quoad obligationem huius Liturgiae in Ecclesiis Catholicis Orientalibus *sui iuris*, sequendae sunt indicationes iuris proprii.<sup>225</sup> Hortamur insuper communitates vitae consecratae ut sint vere exemplares in Liturgia Horarum celebranda, ita ut exemplum fiant et inspiratio pro spiritali et pastoralis vita universae Ecclesiae.

Synodus expressit desiderium ut magis diffundatur in Populo Dei hoc orandi genus, praesertim Laudum et Vesperarum recitatio. Huiusmodi incrementum non poterit non augere inter fideles familiaritatem cum Verbo Dei. Extollendum est etiam pondus Liturgiae Horarum quae proponitur in primis vespere Dominicae et Sollemnitatum, potissimum apud Ecclesias Catholicas Orientales. Ad hunc finem commendamus ut, ubi id fieri potest, paroeciae et communitates vitae religiosae huiusmodi orationem cum participatione fidelium foveant.

#### *Verbum Dei et Benedictionale*

63. Etiam in usu Benedictionalis oportet mens vertatur ad spatium quod praevideatur in proclamatione, auditione et explicatione Verbi Dei, per breves admonitiones. Nam gestus benedictionis, in casibus praevisis ab Ecclesia et cum requiritur a fidelibus, non est segregandus in seipso, sed proprio gradu referendus ad vitam liturgicam Populi Dei. Hoc sensu «benedictio signum sacrum revera fiat, quod ex verbi Dei proclamatione sensum haurit et efficaciam».<sup>226</sup> Quapropter magni est ponderis

<sup>224</sup> Cfr *Codex Iuris Canonici*, cann. 276 §3; 1174 §1.

<sup>225</sup> Cfr *Codex Canonum Ecclesiarum Orientalium*, cann. 377; 473 §§ 1 et 2,1°; 538 §1; 881 §1.

<sup>226</sup> RITUALE ROMANUM, *De Benedictionibus, Praenotanda Generalia*, 21.

adhibere has occasiones ut fames et sitis cuiusque verbi quod procedit de ore Dei (cfr *Mt* 4,4) in fidelibus accendatur.

*Consilia et proposita specifica ad liturgicam animationem*

64. Postquam quaedam praecipua inspeximus elementa relationis inter Liturgiam et Verbum Dei, nunc summatim exponere et aestimare cupimus quaedam proposita et consilia a synodalibus Patribus commendata, ut in Populo Dei maiorem in dies foveamus habitudinem cum Verbo Dei in ambitu actionum liturgicarum vel eorum quae ad eas referuntur.

a) *Celebationes Verbi Dei*

65. Synodales Patres hortati sunt omnes Pastores ad momenta *celebationis Verbi*<sup>227</sup> diffundenda apud communitates sibi concreditas: sunt privilegiatae occasiones occurrendi cum Domino. Hanc ob rem, huiusmodi praxis non potest non magnam adferre fidelibus utilitatem, atque habenda est instrumentum magni ponderis in re pastorali liturgica. Hae celebationes singularem obtinent praestantiam ad parandam Eucharistiam dominicalem, ita ut credentes penitus imbui possint ubertate Lectionarii ad meditandum et orandum cum sacra Scriptura, maxime intensioribus temporibus liturgicis, Adventu et Natali, Quadragesima et Pascha. Celebratio Verbi Dei fieri enixe suadetur in illis communitatibus in quibus, ob exiguum sacerdotum numerum, diebus praeepti festivi sacrificium eucharisticum celebrari nequit. Attentis admonitionibus iam ex Adhortatione apostolica postsynodali *Sacramentum caritatis* emanatis circa congressus dominicales in expectatione sacerdotis,<sup>228</sup> praecipimus ut a competentibus auctoritatibus edantur directoria ritualia, ratione habita de Ecclesiarum particularium experienciis. Hoc modo

<sup>227</sup> Cfr *Propositio* 18; CONC. OECUM. VAT. II, Const. de Sacra Liturgia *Sacrosanctum Concilium*, 35.

<sup>228</sup> Cfr BENEDICTUS XVI, Adhort. ap. postsynodalis *Sacramentum caritatis* (22 Februarii 2007), 75; *AAS* 99 (2007), 162-163.

promovendae sunt, his in adiunctis, celebrationes Verbi quae fidem nutriant credentium, cavendo tamen ne illae cum ipsis celebrationibus eucharisticis confundantur; «singulares potius sint Dei precandi occasiones ut sanctos mittat secundum cor suum sacerdotes». <sup>229</sup>

Synodales Patres insuper hortati sunt ad Verbum Dei celebrandum occasione quoque peregrinationum, festivitatum peculiarium, missionum ad populum, secessuum spiritualium atque dierum specialium paenitentiae, reparationis et remissionis. Quod spectat ad varias formas pietatis popularis, etiamsi non sunt actus liturgici neque cum celebrationibus liturgicis confundendi, attamen bonum est ut inspicientur ac praesertim iustum tribuant spatium Verbo Dei proclamando et audiendo; revera, in «verbo biblico pietas popularis inexhaustum inveniet fontem inspirationis, insuperabiles formas orationis atque fecunda proposita thematica». <sup>230</sup>

#### b) *Verbum et silentium*

66. Non paucae synodalium Patrum voces in pondus silentii institerunt in relatione cum Verbo Dei cumque eius in vita fidelium receptione. <sup>231</sup> Verbum revera tantummodo in exteriori interioreque silentio pronuntiari et audiri potest. Aetas nostra meditationi non favet et aliquando veluti timor esse videtur, etiam brevi instanti, sese ab instrumentis publicae communicationis abstrahendi. Quam ob rem necesse est hodie Populus Dei ad valorem silentii formetur. Reperire centram Verbi Dei in vita Ecclesiae positionem, sibi vult quoque meditationis et quietis spiritalis sensum iterum invenire. Ingens traditio patristica nos docet mysteria Christi cum silentio coniungi <sup>232</sup> et tantum-

<sup>229</sup> *Ibid.*

<sup>230</sup> CONGREGATIO DE CULTU DIVINO ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM, *Directorio su pietà popolare e liturgia. Principi e orientamenti* (17 Decembris 2001), 87: *Ench. Vat.* 20, n. 2461.

<sup>231</sup> Cfr *Propositio* 14.

<sup>232</sup> Cfr S. IGNATIUS ANTIOCHENUS, *Ad Ephesios*, XV,2: *Patres Apostolici*, ed. F.X. FUNK, Tubingae 1901, I, 224.

modo in eo Verbum invenire apud nos posse mansionem, uti evenit in Maria, et Verbi simul et silentii muliere. Liturgiae nostrae hanc genuinam auditionem faciliorem reddant oportet: *Verbo crescente, verba deficiunt*.<sup>233</sup>

Aestimatio haec maxime refulgeat in Liturgia Verbi, quae «ita celebranda est ut faveat meditationi». <sup>234</sup> Silentium, cum statuitur, «tamquam pars celebrationis»<sup>235</sup> est habendum. Adhortamur igitur Pastores ut silentii momenta foveant, quibus, Spiritu Sancto iuvante, Verbum Dei in cor accipitur.

c) *Sollemnis Verbi Dei proclamatio*

67. Aliud e Synodo emersum est consilium, nempe ut, praesertim in potioribus commemorationibus liturgicis, Verbum, maxime Evangelium, sollemniter proclametur, per usum Evangeliarum, ita ut in ritibus initialibus processionaliter deferatur ac deinde in ambonem a diacono vel a sacerdote ad proclamationem perducatur. Sic enim Populus Dei iuvatur ad intellegendum quod «lectio Evangelii culmen constituit ipsius liturgiae Verbi». <sup>236</sup> Secundum praecepta in *Ordine lectionum Missae* inclusa, bonum est ut proclamatio Verbi Dei, potissimum Evangelii, in cantu extollatur, praesertim in quibusdam sollemnitatibus. Salutatio, nuntium initiale: «Evangelium» et illud finale: «Verbum Domini», aequum est in cantu proferri ut in luce ponatur id quod legitur. <sup>237</sup>

d) *Verbum Dei in templo christiano*

68. Ad fovendam auditionem Verbi Dei minime sunt neglegenda illa instrumenta quae fidelibus ad maiorem mentis attentionem opem ferre possint. Hanc ob rationem necesse est in sacris

<sup>233</sup> Cfr S. AUGUSTINUS, *Sermo* 288,5: *PL* 38, 1307; *Sermo* 120,2: *PL* 38, 677.

<sup>234</sup> *Institutio Generalis Missalis Romani*, 56.

<sup>235</sup> *Ibid.*, 45; cfr CONC. OECUM. VAT. II, Const. de sacra Liturgia *Sacro-sanctum Concilium*, 30.

<sup>236</sup> *Ordo lectionum Missae*, 13.

<sup>237</sup> Cfr *ibid.*, 17.

aedificiis acustica minime omittatur, servatis normis liturgiae et architecturae. «Episcopi debite adiuti curent, ut ecclesiae eiusmodi aedificentur, quae proclamationi Verbi, meditationi et eucharisticae celebrationi locum praebeant accommodum. Spatia sacra, etiam extra actionem liturgicam, mysterium christianum Verbo Dei conexum diserte eloqui valeant oportet».<sup>238</sup>

Singularis cura ad *ambonem* adhibenda est, veluti liturgicum locum ad Verbum Dei proclamandum. In spatio visibili collocandus est, ad quem sponte fidelium attentio in liturgia Verbi convertatur. Ambo stabilis sit oportet, constitutus uti elementum sculptorium in harmonia aethetica cum *altari*, ita ut etiam visibiliter theologicum significet sensum *geminæ mensae et Verbi et Eucharistiae*. Ex ambone lectiones, psalmus responsorius atque Praeconium paschale proclamantur; ibidem proferri possunt homilia et oratio universalis.<sup>239</sup>

Praeterea Synodales Patres proponunt ut in ecclesiis conspicuus adsit locus in quo sacra Scriptura etiam *extra celebrationem* collocanda sit.<sup>240</sup> Oportet revera ut volumini, quod Verbum Dei continet, visibilis et praestans locus sit in templo christiano, quin neglegatur primarius locus qui spectat ad tabernaculum Sanctissimum Sacramentum continens.<sup>241</sup>

e) *Exclusivum textuum biblicorum ius in liturgia*

69. Synodus praeterea alacriter declaravit id quod, ceterum, iam a norma liturgica Ecclesiae institutum est,<sup>242</sup> nempe ut *lectiones videlicet ex sacra Scriptura depromptae numquam aliis textibus sint substituendae*, quamvis significantiores sint sub aspectu pastoralis et spirituali: «Nullus enim est textus, qui de spiri-

<sup>238</sup> *Propositio 40.*

<sup>239</sup> Cfr *Institutio Generalis Missalis Romani*, 309.

<sup>240</sup> Cfr *Propositio 14.*

<sup>241</sup> Cfr BENEDICTUS XVI, Adhort. ap. postsynodalis *Sacramentum caritatis* (22 Februarii 2007), 69: *AAS 99* (2007), 157.

<sup>242</sup> Cfr *Institutio Generalis Missalis Romani*, 57.



tualitate de humanisve litteris depromptus, virtutem et divitias sacrae Scripturae, quae est Verbum Dei, inhaerentes attingere valeat». <sup>243</sup> Agitur de quadam antiqua Ecclesiae dispositione quae servanda est. <sup>244</sup> Prae quibusdam abusibus, iam Summus Pontifex Ioannes Paulus II gravitatem memoravit sacras Scripturas nullo umquam tempore pro aliis lectionibus substituendi. <sup>245</sup> Memoria teneamus etiam *Psalmum responsorium* Verbum esse Dei, per quem Domini voci respondemus et hanc ob rem pro aliis textibus substitui non debet; valde tamen opportunum est eum in cantu exsequi.

f) *Cantus liturgicus biblice inspiratus*

70. Ad valorem Verbi Dei quod attinet in celebratione liturgica, cantus quoque in momentis a proprio ritu praevisis est ponderandus, cantum clarae biblicae inspirationis provehendo, qui per verborum et artis musicae consonantiam Verbi divini pulchritudinem exprimere valeat. Hoc in contextu opportunum est ut vis conveniens tribuatur illis cantibus quos traditio Ecclesiae nobis praebuit quique hoc criterium observant. Peculiarem mentem ad Cantus Gregoriani pondus vertimus. <sup>246</sup>

g) *Peculiaris sollicitudo erga non videntes et non audientes*

71. Ad rem quod attinet peculiarem etiam sollicitudinem memorare velimus quam Synodus habendam commendavit de omnibus qui ob proprias condiciones difficultates habent ut active

<sup>243</sup> *Propositio 14.*

<sup>244</sup> Cfr canon 36 *Synodi Hipponensis* anni 393: *DS*, 186.

<sup>245</sup> Cfr IOANNES PAULUS II, Litt. ap. *Vicesimus quintus annus* (4 Decembris 1988), 13: *AAS* 81 (1989), 910; CONGREGATIO DE CULTU DIVINO ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM, *Redemptionis sacramentum*. Instructio de quibusdam observandis et vitandis circa sanctissimam Eucharistiam (25 Martii 2004), 62: *Ench. Vat.* 22, n. 2248.

<sup>246</sup> Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Const. de Sacra Liturgia *Sacrosanctum Concilium*, 116; *Institutio Generalis Missalis Romani*, 41.

liturgiam participant, uti exempli gratia de iis non videntibus et non audientibus. Quantum fieri potest, christianas hortamur communitates ut aptis cum instrumentis subveniant illis fratribus et sororibus qui hanc patiuntur difficultatem, ut etiam illis facultas concedatur vivam necessitudinem iungendi cum Verbo Domini.<sup>247</sup>

## VERBUM DEI IN VITA ECCLESIALI

### *Occurrendum Verbo Dei in sacra Scriptura*

72. Cum verum sit liturgiam spatium esse privilegiarium ad proclamandum, audiendum et celebrandum Verbum Dei, verum etiam est hunc occursum in cordibus fidelium parandum esse ac maxime iisdem altius percipiendum et appropriandum. Revera vita christiana essentialiter occursum cum Iesu Christo signatur qui nos vocat ad Ipsum sequendum. Quam ob rem Synodus Episcoporum saepenumero in lucem protulit pondus pastoralis navitatis in christianis communitatibus veluti apti spatii in quo personale agendum est iter et communitarium erga Verbum Dei, ita ut id spiritualis vitae fundamentum revera exstet. Simul cum synodalibus Patribus vivum desiderium exprimimus ut «oriatur tempus novum ad amorem sacrae Scripturae ab omnibus sodalibus Populi Dei ardentius exhibendum opportunum, ut orante et fideli lectione, tempore progrediente, profundior fiat relatio, qua credentes ipsius Iesu personae adstringuntur».<sup>248</sup>

In historia Ecclesiae ex parte sanctorum haud desunt adhortationes de necessitate cognoscendi Scripturam ad crescendum in Christi amore. Hoc potissimum patet apud Ecclesiae Patres. Sanctus Hieronymus, magno Verbi Dei «amore inflammatus», sese interrogabat: «Quae enim alia potest esse vita sine scientia Scripturarum, per quas etiam ipse Christus agnoscitur, qui est

<sup>247</sup> Cfr *Propositio* 14.

<sup>248</sup> *Propositio* 9.

vita credentium? ». <sup>249</sup> Omnino conscius erat Biblia instrumenta esse «in quibus quotidie credentibus loquitur Deus». <sup>250</sup> Hoc modo ipse consilia praebet Romanae matronae Laetae ad filiam instituendam: «Reddat tibi pensum quotidie de Scripturarum floribus carptum... Orationi lectio, lectioni succedat oratio... Pro gemmis et serico divinos Codices amet». <sup>251</sup> Valet etiam pro nobis id quod idem sanctus Hieronymus sacerdoti Nepotiano scribebat: «Divinas Scripturas saepius lege, immo numquam de manibus tuis sacra lectio deponatur. Disce quod doceas». <sup>252</sup> Exemplum sequentes tanti sancti, qui suam vitam in inquirenda Biblia impendit et Ecclesiae suam tradidit Latinam versionem, sic dictam *Vulgatam*, atque omnium sanctorum qui in centro suae spiritalis vitae constituerunt occursum cum Christo, nostrum renovemus studium ad altius vestigandum Verbum quod Deus Ecclesiae donavit. Ita intendere possumus ad illum «superiorem modum ordinariae vitae christianae», <sup>253</sup> optatum a Summo Pontifice Ioanne Paulo II tertio ineunte millennio christiano, quae constanter in audiendo Verbo Dei alitur.

### *Biblica animatio actionis pastoralis*

73. Huic rei prospiciens, Synodus hortata est ad peculiare opus pastorale ita agendum ut inde princeps locus Verbi Dei in ecclesiali vita exoriretur, commendans ut «actio pastoralis biblica» augetur, non uti appositio ad alias formas actionis pastoralis, sed tamquam *animatio biblica totius actionis pastoralis*. <sup>254</sup> Ergo non agitur de quadam congressione in paroecia vel in dioecesi addenda, sed de investigando num in solitis navitatibus com-

<sup>249</sup> *Epistula* 30, 7: *CSEL* 54, p. 246.

<sup>250</sup> *Id.*, *Epistula* 133, 13: *CSEL* 56, p. 260.

<sup>251</sup> *Id.*, *Epistula* 107, 9.12: *CSEL* 55, p. 300.302.

<sup>252</sup> *Id.*, *Epistula* 52, 7: *CSEL* 54, p. 426.

<sup>253</sup> *Litt. ap. Novo millennio ineunte* (6 Ianuarii 2001), 31: *AAS* 93 (2001), 287-288.

<sup>254</sup> *Propositio* 30; Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de divina Revelatione *Dei Verbum*, 24.

munitatum christianarum, in paroeciis, in consociationibus et in motibus realiter in corde habeatur personalis cum Christo occursum qui suo in Verbo nobiscum communicat. Secundum hanc mentem, eo quod «ignoratio Scripturarum ignoratio Christi est»,<sup>255</sup> animatio biblica totius actionis pastoralis ordinariae et extraordinariae ad maiorem adducet cognitionem personae Christi, Revelatoris Patris et plenitudinis divinae Revelationis.

Hortamur itaque pastores et fideles ad rationem habendam de pondere huius animationis: erit etiam aptissimus modus ad quasdam obeundas pastorales quaestiones quae in Coetu synodali ortae sunt, et coniunctae, ad exemplum, *cum proliferatione sectarum* quae distortam et abusivam lectionem sacrae Scripturae diffundunt. Ubi fideles ad cognitionem Bibliorum non instituuntur secundum fidem Ecclesiae in alveo eius vivae Traditionis, illic revera vacuum pastorale remanet in quo realitates sicut sectae spatium invenire possunt ad proprias agendas radices. Hanc ob rem necesse est ut congruae sacerdotum praeparationi provideatur et laicorum qui Populum Dei in genuino aditu ad Scripturas instituere valeant.

Praeterea, sicut in luce positum est in sessionibus synodalibus, rectum est ut in actione pastorali foveatur quoque diffusio *parvarum communitatum*, «familiis constantium, vel in paroeciis radicatarum, vel variis motibus ecclesialibus communitatibusque novis adnexarum»,<sup>256</sup> in quibus formatio, oratio et cognitio Bibliorum secundum fidem Ecclesiae promoveantur.

### *Catechesis biblica ratio*

74. Uti maioris ponderis momentum animationis pastoralis Ecclesiae, in quo sapienter centralis ratio Verbi Dei reperi potest, est catechesis, quae suis in diversis formis et gradibus semper Populum Dei comitari debet. Colloquium discipulorum

<sup>255</sup> S. HIERONYMUS, *Commentariorum in Isaiam libri, Prol.*: PL 24, 17 B.

<sup>256</sup> Cfr *Propositio* 21.

Emmaus cum Iesu, ab evangelista Luca descriptum (cfr *Lc* 24,13-35), exhibet, quodammodo, exemplum catechesis in qua praecipuum locum obtinet «Scripturarum interpretatio», quam solummodo Christus tradere potest (cfr *Lc* 24,27-28), in se ipso earum adimpletionem ostendendo.<sup>257</sup> Hoc modo spes renascitur omni profligatione fortior, quae hos discipulos testes reddit persuasos et credibiles Resuscitati.

In *Directorio generali pro catechesi* valida invenimus indicia ad catechesim biblice animandam ad quae etiam libenter remittimus.<sup>258</sup> Hac data occasione volumus praesertim affirmare oportere catechesim «sententiis, spiritu, rationibus biblicis et evangelicis imbui penitusque pervadi per assiduum textuum ipsorum usum; sed etiam reminisci catechesim eo locupletiolem et efficaciorē esse, quo magis eodem intellectu et animo verba legat, quo Ecclesia; mente ac vita duci, quae his duobus milibus annorum Ecclesiae propriae fuerint». <sup>259</sup> Cognitio ergo figurarum, eventuum et praecipuarum expressionum textus sacri promoveatur oportet; hanc ob rem iuvare etiam potest intellegenter *memoriae mandare* quosdam locos biblicos mysteriorum christianorum singulariter eloquentes. Catechetica actio semper secum fert ut ad Scripturas in fide et Traditione Ecclesiae accedatur, ita ut haec verba tamquam viva percipiantur, uti Christus est hodie vivus ubi duo vel tres in nomine eius congregantur (cfr *Mt* 18,20). Ipsa salutis historiam atque materiam fidei Ecclesiae vitaliter tradere debet ut unusquisque fidelis suam quoque personalem vicissitudinem ad illam historiam pertinere percipiat.

Hoc sub prospectu interest ut in luce ponatur necessitudo inter sacram Scripturam et *Catechismum Catholicae Ecclesiae*, ut docet *Directorium generale pro catechesi*: «Etenim sacra Scrip-

<sup>257</sup> Cfr *Propositio* 23.

<sup>258</sup> Cfr CONGREGATIO PRO CLERICIS, *Directorium generale pro catechesi* (15 Augusti 1997), 94-96; *Ench. Vat.*, 16, n. 875-878; IOANNES PAULUS II, Adhort. ap. *Catechesi tradendae* (16 Octobris 1979), 27: *AAS* 71 (1979), 1298-1299.

<sup>259</sup> *Ibid.*, 127; *Ench. Vat.* 16, n. 935; cfr IOANNES PAULUS II, Adhort. ap. *Catechesi tradendae* (16 Octobris 1979), 27: *AAS* 71 (1979), 1299.

tura ut “locutio Dei divino afflante Spiritu scripto consignata”, et Catechismus Catholicae Ecclesiae quatenus magni momenti documentum hodiernum vivae Traditionis Ecclesiae et firma regula ad fidem docendam, vocantur, uterque suo modo et iuxta propriam auctoritatem utriusque, ad catechesim fecundandam in Ecclesia nostrae aetatis». <sup>260</sup>

### *Christianorum biblica formatio*

75. Ad finem a Synodo optatum consequendum, ad maiorem videlicet biblicam indolem totius actionis pastoralis Ecclesiae, necesse est ut idonea sit christianorum ac, potissimum, catechistarum formatio. Ad hanc rem, attentio convertatur oportet ad *apostolatam biblicum*, qui methodus est satis valida ad eiusmodi finem attingendum, prout ecclesialis docet experientia. Praeterea Patres synodales adhortati sunt ut, si fieri potest, per considerationem structurarum academicarum iam existentium, formationis constituentur centra pro laicis et missionariis, in quibus discant Verbum Dei intellegere, vivere ac nuntiare, et, ubi necessarium videatur, instituta peculiariter studiis biblicis dicata constituentur, ut exegetae solida theologiae comprehensione et animo in adiuncta suae missionis sensibili pariter ditentur. <sup>261</sup>

### *Sacra Scriptura in magnis ecclesialibus congressionibus*

76. Inter innumera incepta quae suscipi possunt, Synodus suadet ut in congressionibus, sive dioecesanis sive nationalibus vel internationalibus, amplius tribuatur momentum Verbo Dei, eius auscultationi atque credenti et oranti Bibliorum lectioni. Quapropter in congressibus eucharisticis, nationalibus et internationalibus, in diebus mundialibus iuventuti dicatis aliisque in

<sup>260</sup> *Ibid.*, 128: *Ench. Vat.* 16, n. 936.

<sup>261</sup> Cfr *Propositio* 33.

conventibus maius spatium laudabiliter inveniri poterit ad celebrationes Verbi adque periodos formationis biblicae.<sup>262</sup>

### *Verbum Dei et vocationes*

77. Synodus in lumen proferens necessitatem intrinsecam fidei ad necessitudinem cum Christo, Verbo Dei inter nos, altiore reddendam, voluit etiam demonstrare quod ipsum Verbum unumquemque personaliter vocat, hoc modo revelans *ipsam vitam vocationem esse* in relatione cum Deo. Et hoc significat: quo magis personalem nostram necessitudinem cum Domino Iesu altiore reddimus, eo magis etiam intellegimus Ipsum ad sanctitatem nos vocare, per definitivas optiones, quibus vita nostra amoris illius respondet, munera sumens et ministeria ad Ecclesiam aedificandam. Hoc in prospectu adhortationes ad cunctos christianos a Synodo factae intelleguntur, ut necessitudinem cum Verbo Dei altius perspiciant veluti baptizati, et etiam sicut vocati ad vivendum secundum diversos vitae status. Hic tangimus unum ex argumentis fundamentalibus doctrinae Concilii Vaticani II quod in lumine posuit singulorum fidelium vocationem ad sanctitatem, in proprio cuiusque vitae statu.<sup>263</sup> Et in sacra Scriptura invenimus revelatam nostram ad sanctitatem vocationem: «Sancti estote, quoniam et ego sanctus sum» (*Lv* 11,44; 19,2; 20,7). Sanctus Paulus deinde eius christologicum demonstrat fundamentum: Pater in Christo «elegit nos (...) ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius in caritate» (*Eph* 1,4). Ita possumus audire uti unicuique nostrum conversam salutationem ad fratres sororesque Romanae communitatis: «Dilectis Dei, vocatis sanctis: gratia vobis et pax a Deo Patre nostro et Domino Iesu Christo» (*Rom* 1,7).

<sup>262</sup> Cfr *Propositio* 45.

<sup>263</sup> Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium*, 39-42.

a) *Verbum Dei et Ministri ordinati*

78. Ante omnia, dum nunc ad Ministros ordinatos Ecclesiae animum Nostrum vertimus, in eorum memoriam revocamus quod in Synodo affirmatum est: «Verbum Dei est omnino necessarium in corde boni pastoris, qui sit Verbi minister, formando».<sup>264</sup> Episcopi, presbyteri, diaconi minime intendere possunt suam vivere vocationem missionemque sine studio certo et renovato sanctificationis, quae in consuetudine cum Bibliis unum ex suis habet sustentaculis.

79. Pro iis qui ad *episcopatum* vocantur et primi sunt et maiore auctoritate praediti Verbi praecones, confirmare desideramus quod Summus Pontifex Ioannes Paulus II in Adhortatione apostolica postsynodali *Pastores gregis* dixit. Ad spiritalem vitam alendam et promovendam, Episcopus debet semper lectioni ac Verbi Dei meditationi principem concedere locum. «Quisque Episcopus debet se committere seseque commissum animadvertere “Deo et verbo gratiae ipsius, qui potens est aedificare et dare hereditatem in sanctificatis omnibus” (Act 20,32). Quapropter antequam est Verbi praeco Episcopus, una cum suis sacerdotibus et sicut quisque fidelis, immo sicut ipsa Ecclesia, Verbi debet esse auditor. Immo veluti interius Verbum incolere debet, ut ipso veluti matris gremio custodiatur et alatur».<sup>265</sup> Ad imitationem Mariae, *Virginis audientis* et Reginae Apostolorum, omnibus fratribus in episcopatu frequentem suademus personalem lectionem atque assiduum sacrae Scripturae studium.

80. Ad *sacerdotes* quoque quod attinet, verba Summi Pontificis Ioannis Pauli II recolere velimus, qui in Adhortatione apostolica postsynodali *Pastores dabo vobis* affirmavit: «Est enim imprimis sacerdos *Verbi Dei administer*, cum consecratus et mis-

<sup>264</sup> *Propositio* 31.

<sup>265</sup> N. 15: *AAS* 96 (2004), 846-847.



sus sit ad nuntiandum hominibus universis Evangelium Regni, singulos ad oboedientiam fidei provocando et christifideles perducendo ad profundiore in dies notitiam et communionem Dei mysterii, nobis in Christo revelati et communicati». Quamobrem ipse sacerdos primum magnam personalem consuetudinem cum Verbo Dei fovere debet. Ei «non sufficiet linguisticos dumtaxat et exegeticos aspectus novisse, licet id quoque necessarium sit; accedendum enim ad Dei Verbum est, corde docili et orante, ut sic possit ipsum cogitationes et affectum sacerdotis penitus permeare novamque instruere mentis conformationem – “sensum Domini” (*1 Cor 2,16*)».<sup>266</sup> Itaque eius verba, optata et gestus magis magisque sint oportet perluciditas, nuntium et testimonium Evangelii; «tantummodo si in Verbo “remaneat”, poterit sacerdos fieri perfectus Domini discipulus; tum veritatem discernet; tum vere liber erit».<sup>267</sup>

In summa, vocatio ad sacerdotium *consecrationem* «*in veritate*» postulat. Ipse Iesus ad suos quod attinet discipulos hanc significat necessitatem: «Sanctifica eos in veritate; sermo tuus veritas est. Sicut me misisti in mundum, et ego misi eos in mundum» (*Io 17,17-18*). Discipuli quodammodo «in intimam Dei naturam trahuntur per immersionem in Verbum Dei. Verbum Dei est, ut ita dicamus, lavacrum quod eos purificat, potentia creatrix quae eos in filios Dei transformat».<sup>268</sup> Cum ipse Christus Verbum Dei sit quod caro factum est (*Io 1,14*), est «ipsa Veritas» (*Io 14,6*), idcirco precatio Iesu ad Patrem «Sanctifica eos in veritate» altiore sensu sibi vult: «Redde eos unum mecum, Christo. Colliga eos mecum. Trahe eos in me. Adest revera unus sacerdos Novi Foederis, ipse Iesus Christus».<sup>269</sup> Necesse est igitur ut sacerdotes semper penitius conscientiam renoveant huius realitatis.

<sup>266</sup> N. 26: AAS 84 (1992), 698.

<sup>267</sup> *Ibid.*

<sup>268</sup> BENEDICTUS XVI, *Homilia in Missa Chrismatis* (9 Aprilis 2009): AAS 101 (2009), 355.

<sup>269</sup> *Ibid.* 356.

81. Agere velimus de pondere Verbi Dei in vita etiam illorum qui ad *diaconatum* vocantur, non solum uti praevium gradum ordinis presbyteratus, sed tamquam permanens ministerium. *Directorium pro institutione diaconorum permanentium* affirmat quod «ex identitate theologica diaconi lineamenta spiritualitatis propriae perspicue efflorescunt, quae quidem ut spiritualitas servitii potissimum exhibetur. Exemplar per excellentiam est Christus servus, qui suam vitam totus in servitium Dei et in bonum hominum impendit». <sup>270</sup> Hoc in prospectu percipitur quod, in variis dimensionibus diaconalis ministerii, «elementum specificum spiritualitatis diaconalis est Verbum Dei, ad quod diaconus ex officio praedicandum vocatus est et quidem ita, ut quod proclamat credat, doceat quod credit atque vivat quod docet». <sup>271</sup> Diaconos igitur hortamur ut propria in vita lectionem credentem sacrae Scripturae studio et precatione nutriant. Introducantur in sacram Scripturam et in eius rectam interpretationem; ad mutuam relationem inter Scripturam et Traditionem; praesertim ad usum Scripturae in praedicatione, in catechesi et in actione pastorali in genere. <sup>272</sup>

b) *Verbum Dei et candidati ad Ordinem sacrum*

82. Synodus peculiare pondus decretorio operi Verbi Dei dedit in vita spirituali candidatorum ad sacerdotium ministeriale. «Discant candidati in sacerdotium divinum Verbum amare. Fiat Scriptura velut anima eorum theologicae educationis et in propatulo collocetur circulus ille, qui exegesis, theologiam, spiritualitatem, missionem in orbem percurrit». <sup>273</sup> Adspirantes ad sacerdotium ministeriale ad altam personalem necessitudinem

<sup>270</sup> CONGREGATIO DE INSTITUTIONE CATHOLICA, *Ratio fundamentalis institutionis diaconorum permanentium* (22 Februarii 1998), 11: *Ench. Vat.* 17, n. 174-175.

<sup>271</sup> *Ibid.*, 74: *Ench. Vat.* 17, n. 263.

<sup>272</sup> Cfr *ibid.*, 81: *Ench. Vat.* 17, n. 271.

<sup>273</sup> *Propositio* 32.

vocantur cum Verbo Dei, praesertim in *lectione divina*, quia eiusmodi necessitudine ipsa alitur vocatio: sub luce subque virtute Verbi Dei reperi, intellegi, amari et duci potest propria vocatio atque adimpleri propria missio, in corde nutriendo Dei cogitationes, unde fides, uti responsio ad Verbum, evadat novum iudicandi et aestimandi criterium erga homines et res, erga eventus et quaestiones.<sup>274</sup>

Haec sollicitudo de oranti Scripturae lectione nullo quidem pacto dichotomiam quandam alere debet quatenus ad institutionem exegeticam tempore formationis postulata. Synodus hortata est ut sacrorum alumni efficaciter iuventur ad percipiendam *necessitudinem inter biblicam institutionem et precatio-nem cum Scriptura*. Scripturarum scrutatio efficere debet maiorem conscientiam mysterii divinae revelationis et alere gestum orantis responsionis Domino qui loquitur. Praeterea, authentica quoque vita orationis facere non poterit quin in anima candidati augere valeat desiderium magis in dies cognoscendi Deum qui suo in Verbo se revelavit tamquam infinitum amorem. Maxima igitur adhibenda est sollicitudo ut in vita sacrorum alumnorum haec *reciprocitas inter institutionem et orationem* exerceatur. Ad hunc finem consequendum necesse est ut candidati ad studium sacrae Scripturae introducantur per methodos quae talem accessum integrum foveant.

c) *Verbum Dei et vita consecrata*

83. Circa vitam consecratam Synodus praesertim memoravit quod eadem « a Verbo Dei auscultato exoritur et Evangelium ut vitae normam accipit ».<sup>275</sup> Vita in sequela Christi, casti, pauperis et oboedientis ita fit vivens « “exegesis” Verbi Dei ».<sup>276</sup> Spiritus

<sup>274</sup> Cfr IOANNES PAULUS II, Adhort. ap. postsynodalis *Pastores dabo vobis* (25 Martii 1992), 47: *AAS* 84 (1992), 740-742.

<sup>275</sup> *Propositio* 24.

<sup>276</sup> BENEDICTUS XVI, *Homilia in Die Internationali Vitae Consecratae dicto* (2 Februarii 2008): *AAS* 100 (2008), 133; cfr IOANNES PAULUS II, Adhort.

Sanctus, cuius virtute Biblia scripta sunt, idem est qui illuminat «nova luce Verbum Domini fundatoribus et fundatricibus. Ex eo emanavit quodlibet charisma eiusque omnis regula exstat signum»,<sup>277</sup> originem dando vitae christianae itinerariis radicali Evangelii indole signatis.

Memorare quidem velimus quod magna traditio monastica sicut elementum constituens propriae spiritualitatis meditationem sacrae Scripturae semper exercuit, maxime sub forma *lectionis divinae*. In praesens quoque antiquae et novae realitates specialis consecrationis vocantur ut verae sint scholae vitae spiritualis in quibus Scripturae secundum Spiritum Sanctum in Ecclesia sunt legendae, ita ut omnis Dei Populus hac re frui possit. Quam ob rem Synodus suadet ne in communitatibus vitae consecratae umquam desit solida formatio circa credentem Bibliorum lectionem.<sup>278</sup>

Cupimus etiam interpretari diligentiam et gratitudinem quas Synodus de formis *vitae contemplativae* protulit, quae per peculiare charisma cotidie protracta temporis spatia impendunt imitationi Matris Dei quae in corde suo omnia verba et facta Filii sui assidue conservabat (cfr *Lc 2,19.51*), et Mariae Bethaniae quae, sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius (cfr *Lc 10,38*). Mens Nostra praesertim ad monachos et ad moniales clausurae vertitur, qui a mundo seiuncti penitius sociantur cum Christo, orbis terrarum corde. Ecclesia quam maxime testificatione indiget eorum qui promittunt «nihil amori Christi praeponere».<sup>279</sup> Hodierna societas saepe nimis externis actionibus detinetur, quibus obrui periclitatur. Viri et mulieres vitae contemplativae, eorum vita orationis, auditionis meditationisque Verbi Dei, nos

ap. postsynodalis *Vita consecrata* (25 Martii 1996), 82; *AAS* 88 (1996), 458-460.

<sup>277</sup> CONGREGATIO PRO INSTITUTIS VITAE CONSECRATAE ET SOCIETATIBUS VITAE APOSTOLICAE, Instr. *Contemplando il volto* (19 Maii 2002), 24: *Ench. Vat.* 21, n. 447.

<sup>278</sup> Cfr *Propositio* 24.

<sup>279</sup> S. BENEDICTUS, *Regula*, IV, 21: *SC* 181, 456-458.

admonent quod non in pane solo vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei (cfr *Mt* 4,4). Cuncti fideles idcirco meminerint eiusmodi vitae formam «mundo nostrae aetatis demonstrare id quod est maximi momenti, in summa, unum necessarium: quod postrema adest ratio qua operae pretium est vivere, Deus videlicet eiusque imperscrutabilis amor».<sup>280</sup>

d) *Verbum Dei et christifideles laici*

84. Ad christifideles laicos Synodus saepenumero animum vertit, gratias eis referens de munifico eorum studio in Evangelio propagando in variis cotidianaе vitae provinciis, in opere, in schola, in familia et in educatione.<sup>281</sup> Eiusmodi munus, quod a baptismo provenit, oportet per vitam christianam semper magis consciam augeri possit atque «rationem spei» (cfr *I Pe* 3,15) quae est in nobis dare valeat. Iesus in *Evangelio secundum Matthaeum* affirmat: «Ager autem est mundus; bonum vero semen, hi sunt filii regni» (13,38). Haec verba christifideles laicos potissimum contingunt, qui propriam vivunt vocationem ad sanctitatem per existentiam secundum Spiritum qui exprimitur «speciatim *se inserendo in rebus temporalibus et participando in navitatibus terrenis*».<sup>282</sup> Illi indigent formatione ad discernendam voluntatem Dei per consuetudinem cum Verbo Dei, lecto et vestigato in Ecclesia, legitimis ducentibus Pastoribus. Utinam haurire possint hanc formationem ex scholis sublimium spiritualium traditionum ecclesialium in quarum fundamento sacra semper adest Scriptura. Quantum fieri possit, hoc in sensu ipsae dioeceses formationis occasiones praebeant laicis qui peculiaria officia ecclesialia habent.<sup>283</sup>

<sup>280</sup> BENEDICTUS XVI, *Allocutio in visitatione Abbatiae «Heiligenkreuz»* (9 Septembris 2007): *AAS* 99 (2007), 856.

<sup>281</sup> Cfr *Propositio* 30.

<sup>282</sup> IOANNES PAULUS II, *Adhort. ap. postsynodalis Christifideles laici* (30 Decembris 1988), 17: *AAS* 81 (1989), 418.

<sup>283</sup> Cfr *Propositio* 33.

e) *Verbum Dei, matrimonium et familia*

85. Synodus animadvertit necessitatem in lucem proferendi etiam necessitudinem inter Verbum Dei, matrimonium et familiam christianam. Nam « Verbum Dei annuntians, Ecclesia patefacit christianae familiae veram eius identitatem, id nempe quod ea est et esse debet secundum Domini consilium ».<sup>284</sup> Numquam ideo obliviscendum est « *Verbum Dei in matrimonii origine collocari* (cfr *Gn 2,24*) et ipsum Iesum matrimonium includere voluisse inter institutiones sui Regni (cfr *Mt 19,4-8*) », extollendo ad sacramentum quod ab origine in humana natura est inscriptum. « In celebratione sacramenti vir et mulier proferunt verbum propheticum mutuae donationis efficax, ut sint “caro una”, signum unionis Christi et Ecclesiae (cfr *Eph 5,31-32*) ».<sup>285</sup> Fidelitas erga Verbum Dei ducit etiam ad animadvertendum hanc institutionem hodie sub plurimis aspectibus in incursus mentis huius aetatis exponi. Prae diffusa affectuum turbatione ac recentioribus cogitandi modis qui corpus humanum et differentiam sexualem parvipendunt, Verbum Dei iterum confirmat originalem bonitatem hominis, qui masculus et femina creatus est, atque ad amorem fidelem, reciprocum et fecundum vocatus.

E magno mysterio nuptiali provenit *responsalitas parentum erga eorum filios*, quae praetermitti nequit. Ad authenticam enim paternitatem et maternitatem pertinent communicatio ac testificatio sensus vitae in Christo: per fidelitatem et unitatem vitae familiae coniuges erga suos filios primi sunt nuntiatores Verbi Dei. Ecclesialis communitas eos sustinere debet et iuvare ad augendam orationem in familia, auscultationem Verbi, cognitionem Bibliorum. Quam ob rem Synodus exoptat ut *quaelibet domus sua habeat Biblia* eaque digne custodiat, ita ut ea legere possit eaque adhibere ad orandum. Necessarium subsidium a sa-

<sup>284</sup> IOANNES PAULUS II, Adhort. ap. *Familiaris consortio* (22 Novembris 1981), 49: *AAS* 74 (1982), 140-141.

<sup>285</sup> *Propositio* 20.

cerdotibus, diaconis et laicis recte paratis praestari potest. Synodus suasit etiam ut parvae constituerentur communitates inter familias ad communiter colendam orationem meditationemque congruentium locorum Scripturarum.<sup>286</sup> Coniuges deinde meminerint « Verbum Dei auxilium magni pretii etiam in vitae coniugalis et familiaris adversitatibus praebere ».<sup>287</sup>

Hanc ad rem desideramus luculenter quoque exponere quod Synodus hortata est circa *munus mulierum in necessitudine cum Verbo Dei*. Contributio «ingenii muliebris»,<sup>288</sup> prout Summus Pontifex Ioannes Paulus II illud vocare consueverat, ad Scripturae cognitionem nec non ad totam vitam Ecclesiae hodie latior est quam praeterito tempore et ambitum quoque ipsarum inquisitionum biblicarum respicit. Synodus peculiari modo necessariam consideravit mulierum missionem in familia, in educatione, in catechesi atque in communicatione valorum. Ipsae enim capaces sunt quae « Verbi auditum suscitent, personalem cum Deo relationem cieant, sensum condonationis et evangelicae condisionis communicent », <sup>289</sup> sicut etiam sciunt amoris esse gestatrices, misericordiae magistrae et pacis aedificatrices, caloris et humanitatis communicatrices in mundo qui saepissime personas aestimat per languida abusus et lucri criteria.

### *Orans lectio sacrae Scripturae et lectio divina*

86. Synodus saepius in necessitatem institit orantis accessus ad textum sacrum uti elementum fundamentale spiritalis vitae cuiusque credentis, in diversis ministeriis et statibus vitae, cum peculiari relatione ad *lectionem divinam*.<sup>290</sup> Verbum enim Dei fundamentum exstat cuiusque authenticae christianae spirita-

<sup>286</sup> Cfr *Propositio* 21.

<sup>287</sup> *Propositio* 20.

<sup>288</sup> Cfr Ep. ap. *Mulieris dignitatem* (15 Augusti 1988), 31: *AAS* 80 (1988), 1727-1729.

<sup>289</sup> *Propositio* 17.

<sup>290</sup> Cfr *Propositiones* 9. 22.

litatis. Hoc modo Patres synodales unanimiter consentiunt sententiae Constitutionis dogmaticae *Dei Verbum*: «Libenter igitur [cuncti fideles] ad sacrum textum ipsum accedant, sive per sacram Liturgiam divinis eloquiis confertam, sive per piam lectionem, sive per institutionem ad id aptas aliaque subsidia, quae approbantibus et curantibus Pastoribus Ecclesiae ubique nostro tempore laudabiliter diffunduntur. Meminerint autem orationem concomitari debere sacrae Scripturae lectionem».<sup>291</sup> Conciliaris meditatio magnam traditionem patristicam resumere volebat quae semper accessum ad Scripturam commendavit in colloquio cum Deo. Ut ait sanctus Augustinus: «Oratio tua locutio est ad Deum: quando legis, Deus tibi loquitur; quando oras, Deo loqueris».<sup>292</sup> Origenes, in hac Bibliorum lectione unus ex magistris, censet intellectionem Scripturarum magis communionem cum Christo et orationem postulare, quam inquisitionem ipsam. Ille enim compertum habet viam privilegiam ad Deum cognoscendum amorem esse, et authenticam *scientiam Christi* non dari nisi erga Ipsum amoris flamma ferveat. In *Epistola ad Gregorium* magnus theologus Alexandrinus commendat: «Praecipue attende divinarum Scripturarum *lectioni*, sed attente. (...) Et attendens rerum divinarum *lectioni* cum fidei et quae Deo placeat anticipata opinione, pulsa quae in iis clausa sunt, et aperietur tibi a ianitore, de quo dixit Iesus: “Huic ostiarius aperit”. Et attendens *divinae lectioni*, recte et firma in Deum fide eam quae-re quae multis abscondita est, divinarum mentem litterarum. Verum ne tibi satis sit pulsare et quaerere. Nam maxime etiam necessaria est ad res divinas intelligendas *oratio*, ad quam cohortans Salvator, non solum dixit: “Quaerite, et invenietis”, et “Pulsate, et aperietur vobis”, sed et: “Petite, et dabitur vobis”».<sup>293</sup>

Attamen, ad tale quod attinet propositum, *periculum est vitandum accessus individualistici*, considerando quod Verbum

<sup>291</sup> N. 25.

<sup>292</sup> *Enarratio in Psalmos*, 85,7: PL 37, 1086.

<sup>293</sup> ORIGENES, *Epistola ad Gregorium*, 3: PG 11, 92.



Dei nobis datur ad communionem aedificandam, ad unionem in Veritate agendam nostro in itinere ad Deum. Verbum est quod unumquemque nostrum alloquitur, sed etiam Verbum quod communitatem aedificat, quod Ecclesiam aedificat. Quam ob rem *ad sacrum textum in ecclesiali communione accedendum est*. Etenim «maximi momenti est lectio communitaria, quia subiectum vivens sacrae Scripturae est Populus Dei, est Ecclesia... Scriptura ad praeteritum tempus non pertinet, quia eius subiectum, Populus Dei ab ipso Deo inspiratus, semper idem est, quocirca Verbum semper vivens est in subiecto viventi. Hanc ob rem magni ponderis est sacram Scripturam legere et sacram Scripturam sentire in communione Ecclesiae, cunctis videlicet cum magnis testibus huius Verbi, inde a primis Patribus usque ad Sanctos nostrae aetatis, usque ad hodiernum Magisterium».<sup>294</sup>

Quamobrem in lectione orante sacrae Scripturae *privilegiatum spatium occupat Liturgia*, potissimum *Eucharistia*, in qua, dum Corpus et Sanguis Christi in Sacramento celebrantur, ipsum Verbum inter nos praesens efficitur. Quodammodo lectio orans, personalis et communitaria, semper in relatione ad eucharisticam celebrationem est vivenda. Sicut adoratio eucharistica parat, comitatur et eucharisticam liturgiam sequitur,<sup>295</sup> ita lectio orans personalis et communitaria parat, comitatur et altius inspicit ea quae Ecclesia per proclamationem Verbi in ambitu liturgico celebrat. Dum in tali stricto vinculo *lectio* et liturgia ponuntur, melius possunt colligi criteria quae hanc lectionem conducere debent in contextu actionis pastoralis et vitae spiritualis Populi Dei.

87. In documentis quae Synodum praeparaverunt et comitata sunt, de diversis methodis dissertum est ut in fide et fructuose ad

<sup>294</sup> Cfr BENEDICTUS XVI, *Allocutio ad sacrorum alumnos Seminarii Romani Maioris* (19 Februarii 2007): *AAS* 99 (2007), 253-254.

<sup>295</sup> Cfr ID., *Adhort. ap. postsynodalis Sacramentum caritatis* (22 Februarii 2007), 66; *AAS* 99 (2007), 155-156.

sacras Scripturas accedatur. Maius tamen pondus tributum est *lectioni divinae*, quae revera «capax est fidei thesaurum Verbi Dei aperiendi, immo etiam communionem creandi cum Christo, Verbo divino vivente».<sup>296</sup> Eius praecipuos gradus hic breviter recensere volumus: ea incipit *lectione* textus qui quaestionem provocat circa authenticam cognitionem eius argumenti: *quid in se ipso biblicus dicit textus?* Si praetermittitur hoc momentum, in periculum inciditur ne textus mutetur in praetextum ad minime egrediendum e nostris cogitationibus. Sequitur deinde *meditatio* in qua quaeritur: *quid nobis biblicus dicit textus?* Hic unusquisque singillatim, at etiam sicut communitas, tangi atque excuti sinere debet, quia agitur de verbis inspiciendis non in praeterito tempore, sed in praesens prolatis. Deinde ad tempus *orationis* venimus quae interrogationem praesumit: *quid Domino in responsione ad eius Verbum dicimus?* Oratio ad modum petitionis, intercessionis, gratiarum actionis et laudis, primus est modus quo Verbum nos transformat. *Lectio divina* denique concluditur *contemplatione*, in qua nos sicut donum Dei sumimus eundem Eius contuitum in rebus iudicandis et nos quaerimus: *qualem conversionem mentis, cordis et vitae Dominus a nobis postulat?* Sanctus Paulus in *Epistula ad Romanos* asserit: «Nolite conformari huic saeculo, sed transformamini renovatione mentis, ut probetis quid sit voluntas Dei, quid bonum et bene placens et perfectum» (12,2). Etenim contemplatio ad creandam tendit in nobis sapientialem visionem realitatis, secundum Deum, et ad instituendum in nobis «sensum Christi» (1 Cor 2,16). Verbum Dei hic offertur veluti criterium discernendi: «vividus est enim Dei sermo et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti et pertingens usque ad divisionem animae ac spiritus, compagum quoque et medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis» (Heb 4,12). Opportunum deinde memorandum est *lectionem divinam* sua in dinamica non concludi nisi ad *actionem* perveniat, quae existentiam credentem movet ut donum fiat pro aliis in caritate.

<sup>296</sup> *Nuntius conclusivus*, III, 9.

Hos gradus in synthesisi et summario invenimus expletos summa forma in figura Matris Dei. Cuilibet fideli exemplar docilis acceptionis Verbi divini, Ipsa « conservabat omnia verba haec conferens in corde suo » (*Lc 2,19*; cfr *2,51*), sciebat invenire altum vinculum quo eventus, actus et res, apparenter disiuncta, in magno proposito divino iunguntur.<sup>297</sup>

Recolere insuper volumus quod Synodus hortata est circa momentum personalis lectionis Scripturae etiam tamquam praxis quae possibilitatem praevidet, iuxta consuetas Ecclesiae normas, indulgentiam sibi ipsi vel defunctis lucrandi.<sup>298</sup> Praxis indulgentiae<sup>299</sup> implicat doctrinam de infinitis meritis Christi, quae Ecclesia, sicut redemptionis ministra, dispensat et aptat, sed implicat doctrinam quoque de communione sanctorum et nobis dicit « quam intima unione in Christo inter nos coniungamur, et quantum conferre possit vita supernaturalis uniuscuiusque ad alios ».<sup>300</sup> Sub hoc prospectu, lectio Verbi Domini nos in itinere paenitentiae et conversionis suffulcit, nobis permittit ut penitus inspiciamus sensum ad Ecclesiam pertinendi atque nos in maiore cum Deo familiaritate sustinet. Ut aiebat sanctus Ambrosius: quando in manus cum fide divinas sumimus Scripturas easque cum Ecclesia legimus, homo revertitur ut in paradiso cum Deo deambulet.<sup>301</sup>

### *Verbum Dei et precatio Marialis*

88. Memores relationis indissolubilis inter Verbum Dei et Mariam de Nazareth, simul cum Patribus synodalibus hortamur ad

<sup>297</sup> Cfr *ibid.*

<sup>298</sup> « *Plenaria indulgentia* conceditur christifideli qui Sacram Scripturam, iuxta textum a competenti auctoritate adprobatum, cum veneratione divino eloquio debita et ad modum lectionis spiritalis, per dimidiam saltem horam legerit; si per minus tempus id egerit *indulgentia* erit partialis »: PAENITENTIARIA APOSTOLICA, *Enchiridion indulgentiarum. Normae et concessionoes* (16 Iulii 1999), 30, §1.

<sup>299</sup> Cfr *Catechismus Catholicae Ecclesiae*, 1471-1479.

<sup>300</sup> PAULUS VI, Const. ap. *Indulgentiarum doctrina* (1 Ianuarii 1967): *AAS* 59 (1967), 18-19.

<sup>301</sup> Cfr *Epistula* 49,3: *PL* 16, 1204 A.

promovendas inter fideles, praesertim in vita familiari, preces Mariales tamquam subsidium ad meditanda sacra mysteria in Scriptura narrata. Instrumentum magnae utilitatis est, exempli gratia, personalis vel communitaria recitatio *Sancti Rosarii*,<sup>302</sup> quod simul cum Maria mysteria percurrit vitae Christi,<sup>303</sup> et quod Summus Pontifex Ioannes Paulus II mysteriis lucis ditari voluit.<sup>304</sup> Opportunum est ut singulorum mysteriorum nuntiationi adiungantur breves loci Bibliorum mysterium nuntiatum respicientes, ad memorationem quarundam significantium sententiarum Scripturae fovendam de mysteriis vitae Christi.

Synodus insuper innuit ut recitatio antiphonae *Angelus Domini* inter cunctos fideles promoveretur. Agitur de oratione simplici et profunda quae sinit ut a nobis «memoria Incarnati Verbi cottidie renovetur».<sup>305</sup> Aequum est ut Populus Dei, familiae et communitates virorum mulierumque consecratorum huic Mariali prece sint fideles, quam traditio nos invitat ad recitandam in aurora, in meridie et in solis occasu. In antiphona *Angelus Domini* a Deo petimus ut, Maria intercedente, nobis etiam tribuatur voluntatem Dei, sicut Ipsa fecit, adimplere atque in nobis eius Verbum accipere. Haec praxis nobis opem ferre potest ad authenticum mysterii Incarnationis amorem roborandum.

Operae pretium est ut cognoscantur, aestimentur et diffundantur etiam quaedam antiquae preces Orientis christiani, quae per relationem ad *Theotokos* Matrem Dei, totam percurrunt salutis historiam. Cogitamus potissimum de hymnis *Akathistos* et *Paraklesis*. Agitur de hymnis laudis litanico more cantatis, commixtis fide ecclesiali et locis biblicis, qui fideles movent ad

<sup>302</sup> Cfr CONGREGATIO DE CULTU DIVINO ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM, *Direttorio su pietà popolare e liturgia. Principi e orientamenti* (17 Decembris 2001), 197-202: *Ench. Vat.* 20, n. 2638-2643.

<sup>303</sup> Cfr *Propositio* 55.

<sup>304</sup> Cfr IOANNES PAULUS II, Ep. ap. *Rosarium Virginis Mariae* (16 Octobris 2002): *AAS* 95 (2003), 5-36.

<sup>305</sup> *Propositio* 55.

Christi mysteria simul cum Maria meditanda. Peculiari modo venerandus hymnus ad Matrem Dei, dictus *Akathistos* – qui cantatur videlicet stando – unum ex altissimis constituit testimoniis pietatis Marialis in traditione Byzantina.<sup>306</sup> Orare cum his verbis animam dilatat eamque ad pacem disponit quae desuper venit, a Deo, ad hanc pacem quae est ipse Christus, natus ex Maria pro nostra salute.

### *Verbum Dei et Terra Sancta*

89. Dum memoriam facimus Verbi Dei quod in sinu Mariae de Nazareth caro efficitur, nunc cor nostrum ad illam Terram convertitur ubi mysterium nostrae redemptionis consummatum est et unde Verbum Dei usque ad fines terrae diffusum. Nam de Spiritu Sancto Verbum in certo temporis instante atque in definito loco, in terrae quodam angulo intra fines Imperii Romani, est incarnatum. Hanc ob rem, quo magis universalitatem et singularitatem personae Christi perpendimus, eo magis illam Terram grato animo inspicimus in qua Iesus natus est, vixit et pro omnibus nobis se ipsum tradidit. Lapides super quos Redemptor noster deambulavit nobis permanent memoria onusti et Bonam Notitiam «conclamare» pergunt. Idcirco synodales Patres concinnam sententiam memoraverunt quae Terram Sanctam «Quintum Evangelium»<sup>307</sup> appellat. Quanti momenti est ut in illis locis christianae adsint communitates, tot non obstantibus difficultatibus! Synodus Episcoporum profundam significat adhaesionem cunctis christianis in Terra Iesu commorantibus et testimonium fidei in Resuscitatum perhibentibus. Christiani huc vocantur ad servitium praestandum non solum tamquam «pharus fidei pro Ecclesia universali, sed etiam sicut fermentum

<sup>306</sup> Cfr CONGREGATIO DE CULTU DIVINO ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM, *Direttorio su pietà popolare e liturgia. Principi e orientamenti* (17 Decembris 2001), 207: *Ench. Vat.* 20, n. 2656-2657.

<sup>307</sup> Cfr *Propositio* 51.

harmoniae, sapientiae et aequilibrî in vita illius societatis quae ex tradito more insignita est et insigniri pergît pluralismo, multis stirpibus et religionibus». <sup>308</sup>

Terra Sancta hodie quoque meta peregrinationum remanet populi christiani, tamquam signum videlicet orationis et paenitentiae, prout iam in antiquitate testantur auctores uti sanctus Hieronymus. <sup>309</sup> Quo magis oculos et cor in Hierosolymam terrestrem convertimus, eo amplius in nobis inflammantur desiderium Hierosolymae caelestis, verae metae cuiusque peregrinationis, et passio ut nomen Iesu, in quo uno est salus, ab omnibus agnoscat (cfr *Act* 4,12).

<sup>308</sup> BENEDICTUS XVI, *Homilia in eucharistica celebratione apud Vallem Iosaphat, Hierosolymae* (12 Maii 2009): *AAS* 101 (2009), 473.

<sup>309</sup> Cfr *Epistula* 108,14: *CSEL* 55, p. 324-325.

TERTIA PARS

*VERBUM MUNDO*

*«Deum nemo vidit unquam:  
Unigenitus Deus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit» (Io 1,18)*





## ECCLESIAE MISSIO: MUNDO VERBUM DEI ANNUNTIARE

### *A Patre et ad Patrem Verbum*

90. Sanctus Ioannes fidei christianae praecipuum paradoxon firmiter extollit: hinc ipse asserit: « Deum nemo vidit umquam » (*Io* 1,18; cfr *1 Io* 4,12). Nullo modo nostrae imagines, opiniones verbave infinitam Altissimi realitatem definire vel metiri possunt. Ipse manet *Deus semper maior*. Hinc is autumat: Verbum realiter « caro factum est » (*Io* 1,14). Unigenitus Filius, qui Patris sinum prospectat, Deum revelavit, quem « nemo vidit umquam » (*Io* 1,18). Iesus Christus ad nos venit plenus « gratiae et veritatis » (*Io* 1,14), quae per eum nobis dono dantur (cfr *Io* 1,17); nam « de plenitudine eius nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia » (*Io* 1,16). Illa ratione Ioannes evangelista in Prologo Verbum contemplatur ab eius apud Deum praesentia usque ad carnis assumptionem, usque ad reditum in sinum Patris, secum deferens eandem nostram humanitatem, quam ipsum in sempiternum sumpsit. Hoc in suo exitu a Patre et ad Ipsum reditu (cfr *Io* 13,3; 16,28; 17,8.10) Ille nobis se ostendit veluti Dei « Narratorem » (cfr *Io* 1,18). Filius enim, sic asserit sanctus Irenaeus Lugdunensis, « est Revelator Patris ». <sup>310</sup> Iesus Nazarenus est, ut ita dicamus, Dei « explicator », quem « nemo vidit umquam ». Is « est imago Dei invisibilis » (*Col* 1,15). Isaiae hic prophetia de Verbi Domini efficacitate adimpletur: « Quomodo descendit imber et nix de caelo » ut terram inebrient et germinare eam faciant, sic Dei Verbum « non revertetur ad me vacuum, sed faciet, quaecumque volui, et prosperabitur in his, ad quae misi illud » (*Is* 55, 10s). Iesus Christus definitivum hoc est et efficax Verbum, quod a Patre exivit et ad eum rediit, in mundo absolute suam efficiens voluntatem.

<sup>310</sup> *Adversus haereses*, IV, 20, 7: PG 7, 1037.

*Spei « Logos » mundo nuntiare*

91. Dei Verbum nobis vitam divinam communicavit quae faciem terrae transfigurat, nova faciens omnia (cfr *Apc* 21,5). Eius Verbum nos complectitur, non modo quatenus divinae revelationis *destinatarios*, sed etiam tamquam eiusdem *nuntiatores*. Ipse, a Patre missus ut eius faceret voluntatem (cfr *Io* 5,36-38; 6,38-40; 7,16-18), ad se nos attrahit et sua in vita missioneque nos illigat. Resuscitati Spiritus sic idoneam nostram vitam reddit ad efficaciter Verbum toti orbi nuntiandum. Pristinæ christiænæ communitatis est experientia, quæ percipiebat Verbum per prædicationem testificationemque diffundi (cfr *Act* 6,7). Peculiarem in modum hic ad Pauli apostoli vitam Nos convertimus, qui a Domino est prorsus comprehensus (cfr *Philp* 3,12) – « vivo autem iam non ego, vivit vero in me Christus » (*Gal* 2,20) – et ab eius missione: « Vae mihi est, si non evangelizavero! » (*I Cor* 9,16), sibi conscius quod in Christo est revelatum id ad omnium gentium salutem, a servitute peccati ad liberationem realiter pertinere, ut filiorum Dei in libertatem ingrediantur.

Verumtamen id quod mundo nuntiat Ecclesia, est *Logos Spei* (cfr *I Pe* 3,15); « magna Spe » indiget homo ut in præsentia vivat, magna scilicet spe quæ est « ille Deus qui humanum possidet vultum quique nos in “finem dilexit” (*Io* 13,1) ». <sup>311</sup> Idcirco Ecclesia essentialiter est missionaria. Nobis verba vitæ æternæ retinere non possumus, quæ nobis dantur, Iesum Christum convenientes: omnibus, cuique homini, ipsa destinantur. Singulæ huius temporis personæ, scientes vel nescientes, hoc nuntio indigent. Dominus ipse, quemadmodum Amos prophetae temporibus, inter homines novam famem novamque sitim Domini verborum concitet (cfr *Am* 8,11). Nostrum est officium id quod per gratiam recepimus vicissim transmittere.

<sup>311</sup> BENEDICTUS XVI, Litt. enc. *Spe salvi* (30 Novembris 2007), 31: *AAS* 99 (2007), 1010.

### *Ex Dei Verbo Ecclesiae missio*

92. Episcoporum Synodus firmiter necessitatem confirmavit in Ecclesia missionariam conscientiam corroborandi, in Dei Populo inde eius ab origine praesentem. Pristini christiani suum missionarium nuntium putaverunt necessitatem quandam, ex ipsa fidei natura orientem: Deus in quem credebant erat omnium Deus, Deus unus et verus, qui in Israel historia et novissime suo in Filio se monstrabat, ita ad id respondens quod universi homines, imo ex corde, exspectant. Primevae christianae communitates animadverterunt suam fidem ad peculiaris cultus consuetudinem non pertinere, quae pro populis distinguitur, sed in veritatis ambitu versari, quae pariter ad omnes homines spectat.

Rursus sanctus Paulus sua vita missionis christianae sensum eiusque primigeniam universalitatem nobis collustrat. De eventu illo cogitamus qui in *Actibus Apostolorum* apud Areopagum Atheniensem narratur (cfr *Act* 17,16-34). Apostolus gentium cum diversi cultus hominibus dialogum instituit, sibi conscius Dei mysterium, Noti-Ignoti, cuius quiddam, quamvis confusum, percipit quisque homo, in historia esse revelatum: «Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis» (*Act* 17,23). Etenim in christiani nuntii novitate cunctis populis dici potest: «Ipse se monstravit, ipse personaliter. Et nunc ad Eum patet via. Christiani nuntii novitas non in cogitatione aliqua residet, sed in facto: Ipse se revelavit».<sup>312</sup>

### *Verbum et Dei Regnum*

93. Itaque Ecclesiae missio non realitas quaedam est habenda quae ex voluntate et additamento vitae ecclesialis pendet. Res eo tendit ut sinatur Spiritus Sanctus ipsi Christo nos assimilare, ad eandem eius missionem sic participandam: «Sicut misit me

<sup>312</sup> BENEDICTUS XVI, *Allocutio Lutetiae Parisiorum ad viros culturae deditos apud Collegium a Bernardinis* (12 Septembris 2008): *AAS* 100 (2008), 730.

Pater et ego mitto vos» (*Io 20,21*), ita ut Verbum tota cum vita communicetur. Ipsum Verbum nos in fratres impellit: Verbum nempe quod illuminat, purificat, convertit; nos servi tantummodo sumus.

Oportet igitur ut sollicitudo ac pulchritudo rursus detegantur Verbum nuntiandi, ut Dei Regnum adveniat, ab ipso Christo praedicatum. Ad hanc sententiam conscientiam renovamus, quod suetum fuit Ecclesiae Patrum, Verbi enuntiati argumentum esse Dei Regnum (*cfr Mc 1,14-15*), *ipsam esse personam Iesu, (autobasileian)* – ut suadenter memorat Origenes.<sup>313</sup> Dominus omnium aetatum hominibus salutem praebet. Omnes nos intellegimus quam sit necessarium ut Christi lumen omnem humanitatis ambitum collustret: familiam, scholam, culturam, opus, otium ceterasque vitae socialis provincias.<sup>314</sup> Non agitur de verbo solaminis nuntiando, sed de verbo diruptionis, quod ad conversionem vocat, quod aditum reserat ad Eum conveniendi, per quem nova humanitas floret.

*Omnes baptizati nuntiandi officio tenentur*

94. Quandoquidem omnis Dei Populus est populus «missus», Synodus confirmavit: «Omnibus Iesu Christi discipulis ob baptismum acceptum commissum est, ut divinum Verbum proclamant».<sup>315</sup> Nullus in Christo credens ab hoc officio se alienum esse putare potest, quod ex sacramentali Corporis Christi participatione oritur. Conscientia haec in unaquaque familia, paroecia, communitate, consociatione ecclesialique motu est concitanda. Ecclesia, ut communionis mysterium, tota utique est missionaria atque unusquisque pro suo vitae statu vocatur, ut operam christiano nuntio efficaciter det.

<sup>313</sup> Cfr *In Evangelium secundum Matthaeum 17, 7: PG 13, 1197 B; S. Hieronymus, Translatio homiliarum Origenis in Lucam, 36: PL 26, 324-325.*

<sup>314</sup> Cfr BENEDICTUS XVI, *Homilia dum inauguratur XII Coetus Generalis Ordinarius Synodi Episcoporum (5 Octobris 2008): AAS 100 (2008), 757.*

<sup>315</sup> *Propositio 38.*

*Episcopi et sacerdotes* pro cuiusque missione primi vocantur ad existentiam quandam famulatu Verbi devinctam, ut Evangelium nuntient, sacramenta ministrent et fideles in Scripturis authentice cognoscendis instituant. *Diaconi* quoque ad sociatam operam conferendam in hoc evangelizationis officium se vocari pro cuiusque missione animadvertant.

In omnibus Ecclesiae annalibus *vita consecrata* ob facultatem sibi hoc munus nuntiandi ac praedicandi Verbi Dei palam sumendi splendet, in *missione ad gentes* et difficilioribus rerum adiunctis, pro novis etiam evangelizationis condicionibus, dum studiose animoseque nova curricula novaeque provocationes ad Dei Verbum efficaciter nuntiandum suscipiuntur.<sup>316</sup>

*Laici* demum ad suum propheticum sustinendum munus vocantur, quod directe a baptismo oritur, ut Evangelium in cotidiana vita, in quovis loco sunt, testificentur. Hac de re Patres synodales optaverunt «suae sensa aestimationis et gratos exprimentes animos confirmare tot laicorum, praesertim mulierum, qui evangelizationi inserviunt munifice seduloque in communitatibus toto orbe terrarum dispersis, Mariam Magdalenam imitantes, quae prima fuit resurrectionis laetissima testis».<sup>317</sup> Synodus insuper grato animo agnoscit motus ecclesiales et novas communitates in Ecclesia validum impetum ad evangelizandum nostra in aetate constituere et ad novas Evangelium nuntiandi formas explicandas compellere.<sup>318</sup>

#### *Necessitas «missionis ad gentes»*

95. Cum omnes fideles ad divinum Verbum nuntiandum cohortarentur, synodales Patres necessitatem nostro quoque tempore confirmarunt in *missione ad gentes* animose operandi. Nullo

<sup>316</sup> Cfr CONGREGATIO PRO INSTITUTIS VITAE CONSECRATAE ET SOCIETATIBUS VITAE APOSTOLICAE, Instr. *Contemplando il volto* (19 Maii 2002), 36: *Ench. Vat.* 21, n. 488-491.

<sup>317</sup> *Propositio* 30.

<sup>318</sup> Cfr *Propositio* 38.

pacto sese continere potest Ecclesia in pastorali quadam opera «servandi» eos qui iam Christi Evangelium noverunt. Missionale studium manifestum est signum maturitatis communitatis ecclesialis. Patres porro fortiter se conscios dixerunt Dei Verbum veritatem esse salvificam, qua quisque homo cunctis temporibus indiget. Quapropter nuntius manifestus debet esse. Cunctis per Spiritus vim Ecclesia obviam ire debet (cfr *1 Cor 2,5*) atque propheticè perseverare in tuendo iure personarumque libertate Verbum Dei audiendi, efficaciora quaerens instrumenta ad illud proclamandum, periculum etiam adiens persecutionis.<sup>319</sup> Universis quidem se salutiferum Verbum nuntiare debere (cfr *Rom 1,14*) animadvertit Ecclesia.

#### *Nuntius ac nova evangelizatio*

96. Summus Pontifex Ioannes Paulus II, semitam sectans Summi Pontificis Pauli VI Adhortationis apostolicae *Evangelii nuntiandi*, multimodis fidelibus pro universo Dei Populo novi aevi missionarii memoravit necessitatem.<sup>320</sup> Tertii millennii initio non modo sunt tot populi qui Bonum Nuntium haud noverunt, sed multis etiam christianis necesse est ut Dei Verbum efficaciter denuo nuntietur, ita ut Evangelii vim vere experiantur. Tot fratres «quamvis baptismo sint loti, tamen infirmiore Evangelii cognitione»<sup>321</sup> fruuntur. Saepenumero Nationes, olim fide vocationibusque locupletes, suam identitatem deperdunt, quadam perniciose imperante cultura in saecularem statum redacta.<sup>322</sup> Novae evangelizationis necessitas, quam Venerabilis Decessor Noster vehementer animadvertit, sine metu est robo-

<sup>319</sup> Cfr *Propositio 49*.

<sup>320</sup> Cfr IOANNES PAULUS II, Litt. enc. *Redemptoris missio* (7 Decembris 1990): *AAS* 83 (1991), 294-340; ID., Litt. ap. *Novo millennio ineunte* (6 Ianuarii 2001), 40: *AAS* 93 (2001), 294-295.

<sup>321</sup> *Propositio 38*.

<sup>322</sup> Cfr BENEDICTUS XVI, *Homilia dum inauguratur XII Coetus Generalis Ordinarius Synodi Episcoporum* (5 Octobris 2008): *AAS* 100 (2008), 753-757.

randam, dum compertum est de divini Verbi efficacia. Ecclesia, de sui Domini fidelitate secunda, Evangelii bonum nuntium annuntiare non cessat atque omnes christianos ad Christi sequelae fascinationem denuo detegendam invitata.

*Dei Verbum et christiana testificatio*

97. Lata ecclesialis missionis spatia, condicionis praesentis complicatio novatas rationes hodie requirunt, ut efficaciter Dei Verbum communicetur. Spiritus Sanctus, primarius omnis evangelizationis auctor, Christi Ecclesiam moderari hac in opera numquam desinet. Attamen praestat ut omnis nuntiandi ratio ante omnia intrinsecam necessitudinem inter *Dei Verbi communicationem et christianam testificationem* prae se ferat. Ex hac re ipsa nuntii auctoritas pendet. Hinc necessarium est Verbum, quod communicet id quod ipse Dominus nobis dixit. Hinc oportet ut una cum testificatione auctoritas huic verbo tribuatur, ne forsitan videatur pulchra philosophia vel utopia, sed potius realitas quaedam quae haberi potest et efficit ut vivatur. Haec inter Verbum et testificationem mutua necessitudo rationem revocat qua ipse Deus per Verbum suum incarnatum se communicavit. Dei Verbum homines attingit per testes, «qui sermonem Dei vivum et praesentem exhibeant». <sup>323</sup> Novae potissimum generationes oportet ut ad Dei Verbum perducantur «per occursum veramque testificationem adulti, per amicos positivam vim praebentes atque per magnum communitatis ecclesialis comitatum». <sup>324</sup>

Inter Scripturae testimonium, ut Dei Verbum de se testatur, et vitae credentium testimonium artum adest vinculum. Una alteram implicat et ad eam ducit. Christiana testificatio Verbum communicat, quod Scripturae testantur. Scripturae vicissim testificationem patefaciunt, quam christiani suam per vitam red-

<sup>323</sup> *Propositio 38.*

<sup>324</sup> *Nuntius conclusivus, IV, 12.*

dere debent. Ii, qui credibiles Evangelii testes conveniunt, efficacitatem Dei Verbi, in iis qui id recipiunt, sic experiuntur.

98. Hoc circulari in motu inter testificationem et Verbum Summi Pontificis Pauli VI sententias in Adhortatione apostolica *Evangelii nuntiandi* intellegimus. Nostra responsalitas non suggerit mundo tantummodo bona participata; oportet ut manifesto Dei Verbum nuntietur. Sic tantum Christi mandato erimus fideles: «Quamobrem, Bonus Nuntius, per vitae testificationem proclamatus, serius ocius annuntiandus erit etiam per vitae verbum. Nulla est vera evangelizatio, nisi nomen et doctrina, vita et promissiones, Regnum et mysterium Iesu Nazareni, Filii Dei, praedicantur».<sup>325</sup>

Quod Dei Verbum nuntiandum propriae vitae testificationem postulat hoc in christiana conscientia inde ab origine prorsus praesens est. Christus ipse fidelis et verus est testis (cfr *Apc* 1,5; 3,14), testis Veritatis (cfr *Io* 18,37). Hac de re innumeras testificationes communicare volumus, quas, gratia suffragante, synodali Coetu procedente, audivimus. Ob narrationem illorum qui fidem servaverunt et claram Evangelii reddiderunt testificationem penitus permoti sumus, etiam sub regiminis dominatione religionem christianam aversantis vel in persecutionum conditionibus.

Haec omnia formidinem nobis inicere non debent. Discipulis suis ipse Iesus dixit: «Non est servus maior domino suo. Si me persecuti sunt, et vos persequentur» (*Io* 15,20). Itaque laudis hymnum cuncta cum Ecclesia propter tot fratrum sororumque testificationes Deo elevare volumus, qui hoc nostro quoque tempore vitam impenderunt ut amoris Dei veritatem communicarent, in Christo cruci affixo et resuscitato nobis revelati. Praeterea mentem totius Ecclesiae gratam christianis patefacimus, qui impedimentis atque propter Evangelium persecutionibus

<sup>325</sup> PAULUS VI, Adhort. ap. *Evangelii nuntiandi* (8 Decembris 1975): *AAS* 68 (1976), 22.



non cesserunt. Eodem tempore magno solidalique animi affectu fideles communitatum illarum christianarum complectimur, earum potissimum in Asia et in Africa existentium, qui hoc tempore christianam ob fidem periculum vitae vel a societate depulsionis adeunt. Videmus hic spiritum beatitudinum Evangelii effici iis qui persecutionem propter Iesum Christum patiuntur (cfr *Mt* 5,11). Non intermittimus pariter quominus vocem Nostram attollamus, ut Nationum regimina omnibus conscientiae religionisque libertatem provideant, etiam publice propriam fidem testificantibus.<sup>326</sup>

#### DEI VERBUM ET IN MUNDO MUNUS

*Iesu inservire in «fratribus minimis» (Mt 25,40)*

99. Divinum Verbum humanam existentiam collustrat atque conscientias ad propriam vitam penitus rursusque considerandam concitat, quandoquidem universa humanitatis historia Dei iudicio subest: «Cum autem venerit Filius hominis in gloria sua, et omnes angeli cum eo, tunc sedebit super thronum gloriae suae. Et congregabuntur ante eum omnes gentes» (*Mt* 25,31-32). Nostra aetate momenti transeuntis praestantiam saepe ac leviter consideramus, perinde ac si nullum pondus in futurum haberet. At contra, Evangelium nobis memorat singula nostrae vitae momenta magni esse ponderis eaque impense experienda, cum sciamus omnes de propria vita rationem reddere debere. *Evangelii secundum Matthaeum* in capite XXV Filius hominis factum aut non factum sibi considerat quod fecerimus vel non fecerimus uni de eius «fratribus minimis» (25,40.45): «Esurivi enim, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi bibere; hospes eram, et collegistis me; nudus, et operuistis me; infirmus, et visitastis me; in carcere eram, et venistis ad me» (25,35-36). Itaque ipsum

<sup>326</sup> Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Decl. de libertate religiosa *Dignitatis humanae*, 2. 7.

Dei Verbum nostri in mundo officii nostraeque coram Christo, historiae Domino, responsalitatibus necessitatem sibi vindicat. In Evangelio nuntiando mutuo nos cohortemur, ut bonum et pro iustitia, reconciliatione paceque officium agamus.

*Verbum Dei et pro iustitia in societate officium*

100. Dei Verbum ad necessitudines impellit hominem, quae probitate et iustitia imbuantur, pretiosum coram Deo bonum omnium hominis laborum testatur, quo iustior habitabilior extet terrarum orbis.<sup>327</sup> Ipsum Dei Verbum iniusta sine ambagibus denuntiat atque solidaritatem aequalitatemque promovet.<sup>328</sup> Domini verborum sub lumine «signa temporum» agnoscamus, quae in historia adsunt, ne munus deseramus in eos qui dolent et egoismum patiuntur. Synodus memoravit officium pro iustitia et mundi immutatione funditus ad evangelizationem pertinere. Quemadmodum asseverabat Pontifex Maximus Paulus VI, oportet «Evangelii potentia tangere et quasi evertere normas iudicandi, bona quae plus momenti habent, studia et rationes cogitandi, motus impulsores et vitae exemplaria generis humani, quae cum Dei verbo salutisque consilio repugnant».<sup>329</sup>

Ad hunc finem Patres synodales peculiarem cogitationem in eos converterunt, qui in politica socialique provincia operantur. Evangelizatio et propagatio Verbi Dei eorum operam in mundo ducere debent ad verum bonum omnium inquirendum, cuiusque personae dignitate servata et promota. Certe haud directe spectat ad Ecclesiam iustiolem societatem constituere, licet ipsa ius officiumque habeat ethicas moralesque res iudicandi, quae ad personarum populorumque bonum attinent. Est potissimum munus fidelium laicorum, Evangelii schola informatorum, de

<sup>327</sup> Cfr *Propositio 39*.

<sup>328</sup> Cfr BENEDICTUS XVI, Nuntius de Die mundiali Pacis 2009 (8 Decembris 2008): *Insegnamenti IV*, 2 (2008), 792-802.

<sup>329</sup> Adhort. ap. *Evangelii nuntiandi* (8 Decembris 1975), 19: *AAS* 68 (1976), 18.

sociali politicaque opera directe agere. Hac de causa Synodus secundum principia doctrinae socialis Ecclesiae congruam institutionem promovendam suadet.<sup>330</sup>

101. Exoptamus praeterea in mentem omnium revocare momentum *iura cuiusque personae humana* defendendi et promovendi, quae in lege naturali, in hominis cordis insculpta, inniuntur, quae «ut generalia et inviolabilia sunt, ita mancipari nullo modo possunt».<sup>331</sup> Ecclesia percipit ut per talia confirmata iura humana dignitas efficacius agnoscat et universaliter promoveatur,<sup>332</sup> tamquam nota quam Deus Creator sua in creatura insculpsit, quam Iesus Christus suam per incarnationem, mortem et resurrectionem assumpsit et redemit. Hac de causa Dei Verbum diffusum facere non potest quin affirmationem et observantiam horum iurium roboret.<sup>333</sup>

*Dei Verbi nuntius, inter gentes reconciliatio et pax*

102. Multiplices inter provincias officiorum, Synodus vehementer suavit ut reconciliatio et pax promoverentur. In rerum hodie adiunctis oportet quam maxime Dei Verbum iterum detegatur tamquam reconciliationis pacisque fons, quoniam in eo Deus sibi omnia reconciliat (cfr *2 Cor 5,18-20; Eph 1,10*): Christus «est pax nostra» (*Eph 2,14*), qui separationis parietes solvit. Tot in Synodo testimonium graves cruentasque contentiones praesentes nostro in mundo ostenderunt. Interdum hae concertationes inter religiones dimicationis speciem prae se ferre videntur. Iterum iterumque confirmare volumus religionem minime umquam intolerantiam vel bella excusare posse. Vim adhibere

<sup>330</sup> Cfr *Propositio 39*.

<sup>331</sup> IOANNES XXIII, Litt. enc. *Pacem in terris* (11 Aprilis 1963), I: *AAS* 55 (1963), 259.

<sup>332</sup> Cfr IOANNES PAULUS II, Litt. enc. *Centesimus annus* (1 Maii 1991), 47: *AAS* 83 (1991), 851-852 ; ID., *Allocutio ad Nationum Unitarum Legatos* (2 Octobris 1979), 13: *AAS* 71 (1979), 1152-1153.

<sup>333</sup> Cfr *Compendio della dottrina sociale della Chiesa*, 152-159.

non possumus in Dei nomine!<sup>334</sup> Quaeque religio ad rationem recte utendam necnon ad ethica bona provehenda, quae civilem convictum efficiunt, perferre debet.

Reconciliationis operae fideles, quam Deus in Christo Iesu, cruci affixo et resuscitato, complevit, catholici atque omnes bonae voluntatis homines exemplis reconciliationis praebendis operam dent, ut iusta pacificaque societas aedificetur.<sup>335</sup> Numquam oblivisci debemus ibi, «ubi humana verba inefficacia evadunt, quandoquidem funestus violentiae armorumque rumor praevallet, prophetica Dei Verbi vim non deficere atque nobis repetere pacem fieri posse, et nos reconciliationis pacisque instrumenta esse debere».<sup>336</sup>

### *Dei Verbum et operosa caritas*

103. Iustitiae, reconciliationis pacisque studium suam postremam radicem suamque consummationem in amore reperit in Christo nobis revelato. Testificationes auscultantes quae in Synodo exstiterunt, attentiores facti sumus de vinculo quod inter Verbum Dei amabiliter audiendum et liberalem in fratres famulatum intercedit; omnes credentes necessitatem animadvertant «in amoris actus verbum auscultatum convertendi, quoniam sic tantummodo Evangelii nuntius fit credibilis, praeter infirmitates quibus personae signantur».<sup>337</sup> Iesus pertransivit in hoc mundo benefaciendo (cfr *Act* 10,38). Prompto quidem animo Dei Verbum in Ecclesia dum auscultatur, excitantur «caritas iustitiaeque erga omnes, potissimum erga pauperes».<sup>338</sup> Numquam est obliviscendum «amorem – *caritatem* – semper fore necessarium,

<sup>334</sup> Cfr BENEDICTUS XVI, Nuntius de XL Die mundiali Pacis 2007 (8 Decembris 2006), 10: *Insegnamenti* IV,2 (2006), 780.

<sup>335</sup> Cfr *Propositio* 8.

<sup>336</sup> BENEDICTUS XVI, *Homilia* (25 Ianuarii 2009): *Insegnamenti* V,1 (2009), 141.

<sup>337</sup> ID., *Homilia in conclusione XII Coetus Generalis Ordinarii Synodi Episcoporum* (26 Octobris 2008): *AAS* 100 (2008), 779.

<sup>338</sup> *Propositio* 11.

in iustiore quoque societate ... si quis de amore vult se subtrahere, prolabitur ad se ab homine velut homine eximendum». <sup>339</sup> Cohortamur itaque omnes fideles ad saepe meditandum caritatis hymnum, scriptum a Paulo Apostolo, qui et ad se eius inspiratione imbuantur: «Caritas patiens est, benigna est caritas, non aemulatur, non agit superbe, non inflatur, non est ambitiosa, non quaerit, quae sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitatem, congaudet autem veritati; omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Caritas numquam excidit» (*I Cor 13,4-8*).

Proximi amor, in Dei amore fundatus, efficere debet ut continenter tum ut singuli tum ut ecclesialis, localis et universalis communitas operemur. Sanctus Augustinus asserit: «Haec summa est, ut intelligatur Legis et omnium divinarum Scripturarum plenitudo et finis esse dilectio ... Quisque igitur Scripturas divinas vel quamlibet earum partem intellexisse sibi videtur, ita ut eo intellectu non aedificet istam geminam caritatem Dei et proximi, nondum intellexit». <sup>340</sup>

#### *Dei Verbi nuntius et iuvenes*

104. Synodus peculiarem in modum de divino Verbo novis generationibus nuntiando cogitavit. Iuvenes iam nunc sunt activa Ecclesiae membra cuiusque sunt futura aetas. Ii saepenumero ad Dei Verbum audiendum propendere reperiuntur atque *sincerum desiderium Iesum cognoscendi* habent. Etenim iuventutis aetate vehementer ac sincere de propriae vitae sensu et de propriae existentiae destinatione *interrogationes* emergunt. Interrogationibus his Deus tantum veram responsionem praebere valet. Haec cura, iuvenibus conversa, manifesti nuntii studium secum fert; iuvenes adiuvere debemus ut fiduciam familiaritatemque erga

<sup>339</sup> BENEDICTUS XVI, Litt. enc. *Deus caritas est* (25 Decembris 2005), 28; *AAS* 98 (2006), 240.

<sup>340</sup> *De doctrina christiana*, I, 35, 39 – 36, 40; *PL*, 34, 34.

sacram Scripturam adipiscantur, quae veluti nautica pyxis sit, quaeque cursum persequendum demonstret.<sup>341</sup> Idcirco testibus et magistris ii indigent, qui cum iis ambulent eosque dirigant ad amandum et vicissim Evangelium maxime cum aequalibus communicandum, dum ipsi veri credibilesque fiunt praecones.<sup>342</sup>

Est necesse ut Verbum divinum in suis quoque vocationum implicationibus ostendatur, ita ut iuvenes suis in vitae curriculum eligendis, in plenam etiam consecrationem, iuventur et perducantur.<sup>343</sup> Verae ad vitam consecratam et sacerdotalem vocationes in Verbo Dei fideliter nanciscendo congruum reperiunt locum. Hodie etiam ianuas Christo reserandi invitationem, quam Pontificatum ingredienti fecimus, iteramus: « Qui sinit ut Christus intret, nihil amittit, nihil – omnino nihil quod vitam liberam, pulchram, insignem reddit. Minime quidem! Solummodo hac in amicitia ad vitam aperiuntur ianuae. In hac amicitia solummodo reapse praestantes humanae condicionis vires recluduntur ... Cari iuvenes, nolite Christum timere! Nihil Ipse aufert, et omnia donat. Is qui se ei tradit, centuplum recipit. Utique, aperite, Christo portas patefacite – et veram vitam invenietis ».<sup>344</sup>

### *Dei Verbi nuntius et migrantes*

105. Dei Verbum ad historiam et ad omnia nova quae ex ea oriuntur attentos nos facit. Quapropter Synodus, quod ad Ecclesiae evangelizationis missionem attinet, implicatae rei mentem convertere voluit, quae ad populos migrantes spectat, quae his annis inopinatam magnitudinem attigit. Hic magnae prudentiae exoriuntur quaestiones, quae ad nationum *securitatem* necnon *receptionem* spectant, quae iis est praebenda, qui confugium, commodiores vitae, salutis operisque condiciones requi-

<sup>341</sup> Cfr BENEDICTUS XVI, *Nuntius occasione XXI Diei Internationalis Inventuti dicati 2006* (22 Februarii 2006), *AAS* 98 (2006), 282-286.

<sup>342</sup> Cfr *Propositio* 34.

<sup>343</sup> Cfr *ibid.*

<sup>344</sup> *Homilia* (24 Aprilis 2005): *AAS* 97 (2005), 712.

runt. Personarum multitudo, quae Christum non noverunt vel incongruentem eius habent imaginem, in christianae traditionis Nationibus domicilium stabiliter ponit. Eodem tempore personae ad populos pertinentes funditus christiana fide informatos, in Nationes demigrant, in quas necesse est ut Christi nuntius deferatur quaeque nova evangelizatione indigent. Hae condiciones novas facultates praebent Dei Verbum diffundendi. Hac de re synodales Patres edixerunt migrantes *kerygma* audiendi ius habere, quod eis proponitur, non imponitur. Si christiani sunt, congruo pastoralis praesidio indigent, ut fides roboretur et evangelici nuntii ipsi sint praecones. Cum sint huius rei implicatae consciae, dioeceses, ad quas id spectat, operari debent, ut migrantium motus tamquam occasiones etiam habeantur ad novas praesentiae nuntiique rationes detegendas atque, pro cuiusque facultatibus, congruae receptioni et horum nostrorum fratrum curae provideatur, ut Bono Nuntio affecti, ipsi Dei Verbi praecones et Iesu Resuscitati, mundi spei, testes fiant.<sup>345</sup>

#### *Dei Verbi nuntius et languentes*

106. Cum synodale opus agerent, Patres necessitatem etiam animadverterunt Verbi Dei universis iis nuntiandi, qui in dolore physico, psychico vel spiritali versantur. Etenim cum dolor adest, *postremae de propriae vitae sensu interrogationes* impellentes in animo hominis oriuntur. Si hominis verbum pro mali dolorisque mysterio cessare videtur atque si nostra societas bonam existentiam putare videtur solummodo si quibusdam efficientiae commoditatisque modis respondeat, Dei Verbum nobis revelat haec quoque rerum adiuncta blandum Dei amorem arcano «complecti». Fides, quae divinum Verbum conveniendo oritur, nos adiuvat, ut aestimemus *humanam vitam dignam esse quae plene vivatur, licet malo frangatur*. Deus hominem creavit ad feli-

<sup>345</sup> Cfr *Propositio* 38.

citatem et vitam fruendam, morbus autem et mors ob peccatum in mundum intraverunt (cfr *Sap* 2,23-24). Sed vitae Pater medicus ipse est hominis praecipue et non intermittit quin amabiliter in dolentem humanitatem se inclinet. Propinquitatis Dei verticem erga hominem dolentem in Iesu ipso contemplamur qui est « Verbum incarnatum. Nobiscum passus est, mortuus est. Per suam passionem et mortem sumpsit Ipse et funditus nostram debilitatem convertit ». <sup>346</sup>

*Iesu propinquitatis dolentibus non est intermissa*: progrediente tempore Spiritus Sancti ope in Ecclesiae missione, in Verbo sacramentisque, in hominibus bonae voluntatis, in assistentiae operibus producitur, quae fraterna cum caritate communitates faciunt, verum Dei vultum eiusque amoris sic demonstrantes. Gratias Deo refert Synodus de fulgida ac saepe latenti testificatione tot christianorum – sacerdotum, religiosorum et laicorum – qui suas manus, suos oculos ac sua corda Christo, vero corporum animarumque medico, commodarunt et commodare pergunt! Cohortatur porro ut personas infirmas curare pergant, vivificantem Domini Iesu in Verbo et Eucharistiae praesentiam eis tradentes. Ad Scripturam legendam iuventur ac simul ad illud detegendum per ipsam hanc condicionem peculiari modo se participare posse dolorem Christi redemptorem pro mundi salute (cfr *2 Cor* 4,8-11.14). <sup>347</sup>

### *Dei Verbi nuntius et pauperes*

107. Sacra Scriptura Dei praecipuam dilectionem erga pauperes et indigentes ostendit (cfr *Mt* 25,31-46). Patres synodales crebro necessitatem memoraverunt evangelicum nuntium, pastorum communitatumque munus, his nostris fratribus converti debere. Reapse « pauperes quidem, non solo pane, sed verbis

<sup>346</sup> BENEDICTUS XVI, *Homilia habita occasione XVII Diei Mundialis aegroti* (11 Februarii 2009): *Insegnamenti* V,1 (2009), 232.

<sup>347</sup> Cfr *Propositio* 35.



vitae indigentes, iure gaudent qui primi omnium Evangelium sibi nuntiatum audiant». <sup>348</sup> Caritatis diaconia, quae nostris in Ecclesiis numquam deficere debet, cum Verbi nuntiatione et sanctorum mysteriorum celebratione coniuncta semper esse debet. <sup>349</sup> Eodem tempore illud oportet agnoscat et aestimetur quod ipsi pauperes sunt evangelizationis actores. In Bibliis verus pauper est ille qui totum se Deo committit et Iesus ipse in Evangelio *beatos* vocat eos « quoniam ipsorum est regnum caelorum » (*Mt* 5,3; cfr *Lc* 6,20). Dominus cordis simplicitatem extollit illius qui Deum suas veras divitias putat, in Eo suam spem ponit, non huius mundi in bonis. Fallere pauperes non potest Ecclesia: « Pastorum est, tum ut eos audiant et ab his discant, ut eos in fide conducant et apte cieant, qui suae historiae artifices existant ». <sup>350</sup>

Ecclesia sibi quoque est conscia quandam esse *paupertatem* ut virtutem, colendam quidem libereque eligendam, sicut tot sancti egerunt, atque *miseriam* esse, quae ex iniustitia oritur et nimio sui amore gignitur, quae egestatem famemque parit et contentiones alit. Cum Ecclesia Dei Verbum nuntiat, novit necesse esse, ut « virtutis circulus » foveatur inter paupertatem *eligendam* et inter paupertatem *profligandam*, dum denuo deteguntur « sobrietas et solidaritas, ut evangelica bona et eodem tempore universalialia ... Id iustitiae electiones ac sobrietatis postulat ». <sup>351</sup>

### *Dei Verbum et creati tutela*

108. In mundo munus, quod divinum Verbum requirit, nos impellit ut novis oculis cernamus universum mundum a Deo creatum atque iam in se Verbi vestigia deferentem, per quod omnia

<sup>348</sup> *Propositio* 11.

<sup>349</sup> Cfr BENEDICTUS XVI, Litt. enc. *Deus caritas est* (25 Decembris 2005), 28: *AAS* 98 (2006), 236-237.

<sup>350</sup> *Propositio* 11.

<sup>351</sup> BENEDICTUS XVI, *Homilia* (1 Ianuarii 2009): *Insegnamenti* V,1 (2009), 5.

facta sunt (cfr *Io* 1,2). Enimvero quaedam est responsalitas quam ut credentes et Evangelii praecones etiam erga creationem habemus. Revelatio, dum Dei de mundo consilium nobis manifestat, nos quoque inducit ut erratas hominis consuetudines reprehendamus, cum omnes res non agnoscit ut Creatoris signum, sed tantummodo materiam licenter tractandam. Sic in homine essentialis deest illa humilitas, quae sinit ut creationem tamquam Dei donum agnoscat, secundum Eius consilium recipiendam et usurpandam. Insolentia e contrario hominis, qui sic vivit perinde ac si Deus non esset, illuc fert ut exhauriatur et corrumpatur rerum natura, cum in ea creantis Verbi opus non agnoscatur. Hoc in theologico prospectu, Patrum synodaliū sententias in mentem revocare cupimus: «Qui Verbum Dei suscipiunt, quod in sacris Scripturis et viva Traditione Ecclesiae testimonio elucet, novum res conspiciendi modum acquirunt et veram oecologiam promovent, quae radices agit imas in oboedientia fidei, ... per novos theologicos sensus quoad bonitatem omnium rerum, quae creatae sunt in Christo». <sup>352</sup> Indiget homo novae institutionis de mirabilibus et vera pulchritudine percipienda, quae in rebus creatis manifestatur. <sup>353</sup>

## DEI VERBUM ET CULTURAE

### *Culturae pondus pro hominis vita*

109. Ioannis nuntius ad Verbi incarnationem spectans artissimum vinculum patefacit, quod inter *Verbum divinum* et *humana verba* intercedit, per quae nobis communicatur. Ex his considerationibus Synodus Episcoporum de necessitudine inter Dei Verbum et culturam multum disseruit. Etenim Deus non homini separatim posito revelatur, sed loquelam, imagines et signa su-

<sup>352</sup> *Propositio* 54.

<sup>353</sup> Cfr BENEDICTUS XVI, Adhort. ap. postsynodalis *Sacramentum caritatis* (22 Februarii 2007), 92: *AAS* 99 (2007), 176-177.

mendo, quae cum diversis culturis copulantur. De fecunda agitur necessitudine, quam magnopere Ecclesiae historia est testificata. Hodie argumentum hoc nova specie distinguitur, quandoquidem varias intra culturas diffunditur et solidatur evangelizatio atque occidentalis cultura proximis superioribus temporibus magis crevit. Hoc prae ceteris praestantiam culturae ut talis pro cuiusque hominis vita complectitur. Res culturalis enim, suis in multiplicibus adspectibus, ad elementum constitutivum humanae experientiae pertinet: «Homo continenter secundum culturam sibi propriam vivit, quae vicissim homines proprio vinculo devincit, cum inter-humanum socialemque characterem definiat humanae existentiae».<sup>354</sup>

Dei Verbum saeculorum decursu diversas culturas finxit, cum morum bona praecipua, magnifica artis opera et eximios vivendi modos efficeret.<sup>355</sup> Itaque renovatam inter Biblia et culturas convenientiam prospectantes, culturae omnibus curatoribus rursus edicere volumus nihil eos timere debere, aditum Dei Verbo dantes, quod numquam veram culturam delet, sed continenter ad humanas formas reperiendas concitat, quae sint aptiores et insigniores. Quaeque vera cultura, quae ad hominem procul dubio attinet, transcendentiae, postremo Deo, patere debet.

### *Biblia ut magnus culturarum codex*

110. Patres synodales momentum extulerunt inter culturae fautores congruae cognitioni Bibliorum favendi, etiam in coetibus saecularibus moribus imbutis et inter non credentes;<sup>356</sup> in sacra Scriptura anthropologica et philosophica bona continentur, quae cunctam humanitatem proficenter affecerunt.<sup>357</sup> Plene restituendus est Bibliorum sensus, ut magnus culturarum codex.

<sup>354</sup> IOANNES PAULUS II, *Allocutio in UNESCO habita* (2 Iunii 1980), 6: *AAS* 72 (1980), 738.

<sup>355</sup> Cfr *Propositio* 41.

<sup>356</sup> Cfr *ibid.*

<sup>357</sup> Cfr IOANNES PAULUS II, Litt. enc. *Fides et ratio* (14 Septembris 1998), 80: *AAS* 91 (1999), 67-68.

*Bibliorum in scholis et in studiorum universitatibus cognitio*

111. Peculiaris ambitus, in quem Dei Verbum et culturae conveniunt, est *schola et studiorum universitas*. Singularem operam curent horum ambituum Pastores, Bibliorum conspicuam cognitionem provehentes, ita ut frugiferae etiam hodie culturales implicationes percipiantur. Studiorum sedes, a catholicis institutis promotae, peculiarem dant operam – quae agnosci debet – culturae institutionique provehendae. Neglegenda exinde non est *religionis disciplina tradenda*, adamussim hac de re institutis magistris. Multis in casibus haec una est discipulis occasio fidei nuntii attingendi. Bonum est per hanc doctrinam sacrae Scripturae cognitionem promovere, antiqua novaque praeiudicia amovendo, atque eius veritatis cognitionem proponendo.<sup>358</sup>

*Sacra Scriptura in diversis artis formis*

112. Inter Dei Verbum et culturam vinculum effecit ut variis in provinciis opera gignerentur, peculiarem in modum in *artis provincia*. Idcirco eximia Occidentis Orientisque traditio semper artis effecta existimavit sacra Scriptura inspirata, sicut exempli gratia figurarum artificia et architecturam, litteras et musicam. De antiqua etiam cogitamus *iconum* loquela, quae ex orientali traditione gradatim in totum terrarum orbem diffunditur. Una cum synodalibus Patribus tota Ecclesia laudat, aestimat et miratur cunctos artifices «pulchritudinis amore incensos», qui ex sacris textibus artis consilia ceperunt; dederunt ipsi operam ut nostra templa decorarentur, nostra fides celebraretur, nostra liturgia locupletaretur atque eodem tempore multi eorum effecerunt ut aliquo modo in tempore spatioque invisibilia aeternaque percipi possent.<sup>359</sup> Competentia instituta cohortamur ut in

<sup>358</sup> Cfr *Lineamenta* 23.

<sup>359</sup> Cfr *Propositio* 40.

Ecclesia solidam artificum institutionem de sacra Scriptura sub vivae Traditionis Ecclesiae Magisteriique lumine iuvent.

*Verbum Dei et instrumenta communicationis socialis*

113. Simul cum necessitudine inter Verbum Dei et culturas coniungitur etiam momentum accurate ac sapienter utendi communicationis socialis instrumentis, antiquis et novis. Patres synodales hortati sunt ad idoneam cognitionem horum instrumentorum, rationem habendo de eorum celeri incremento necnon de variis gradibus interactionis, atque maiores vires insumendo ut qualificata peritia acquireretur variis in campis, praesertim in ita dictis *novis instrumentis communicationis socialis*, sicut exempli gratia in usu *interretis*. Significans iam datur praesentia ex parte Ecclesiae in provincia communicationis socialis, et etiam Ecclesiae Magisterium pluries de hoc argumento locutum est, incipiens a Concilio Vaticano II.<sup>360</sup> Acquisitio novarum viarum ad Nuntium evangelicum transmittendum pertinet ad constantem propensionem evangelizatricem credentium, et hodie communicatio extendit rete quod universum orbem amplectitur et novum acquirit sensum Christi admonitio: «Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine; et quod in aure auditis, praedicate super tecta» (*Mt* 10,27). Verbum divinum, praeter formam typis editam, resonare debet etiam alias per vias communicationis.<sup>361</sup>

<sup>360</sup> Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Decr. de instrumentis communicationis socialis *Inter mirifica*; PONTIFICIUM CONSILIUM COMMUNICATIONUM SOCIALIUM, Instr. past. *Communio et progressio*, de instrumentis communicationis socialis, foras edita de mandato Concilii Oecumenici Vaticani II (23 Maii 1971): *AAS* 63 (1971), 593-656; IOANNES PAULUS II, Ep. ap. *Il rapido sviluppo* (24 Ianuarii 2005): *AAS* 97 (2005), 265-274; PONTIFICIUM CONSILIUM COMMUNICATIONUM SOCIALIUM, Instr. past. de communicationibus socialibus *Aetatis novae*, XX exeunte anno post editam instructionem pastoralem quae est *Communio et progressio* (22 Februarii 1992): *AAS* 84 (1992), 447-468; ID., *La Chiesa e internet* (22 Februarii 2002): *Ench. Vat.* 21, nn. 66-95; ID., *Etica in internet* (22 Februarii 2002): *Ench. Vat.* 21, nn. 96-127.

<sup>361</sup> Cfr *Nuntius conclusivus*, IV, 11; BENEDICTUS XVI, *Nuntius ad XLIII Diem mundialem communicationum socialium* (24 Ianuarii 2009): *Insegnamenti* V, 1 (2009), 123-127.

Quapropter, una cum Patribus synodalibus, gratias agere cupimus catholicis qui cum peritia provehunt validam praesentiam in campo *instrumentorum communicationis socialis*, sollicitando usque amplius peritiusque studium.<sup>362</sup>

Inter novas formas communicationis socialis maiorem in dies locum tenet hodie usus *interretis*, quod novum *forum* constituit in quo oportet Evangelium resonet, ea tamen conscientia quod mundus virtualis numquam substituere poterit mundum realem et quod evangelizatio *virtualitate* oblata a *novis instrumentis communicationis socialis* frui poterit ad instaurandas relationes validas tantummodo si deinde ad *personalem occursum* veniatur qui qua talis substitui nequit. In campo interretis, quo innumerae conspiciuntur imagines in frequentissimis scaenis *interretialibus* totum per orbem, emergere debet *Christi vultus* et vox eius audiri, quoniam «si Christo spatium non tribuitur, nec homini spatium tribuitur».<sup>363</sup>

### *Biblia et inculturatio*

114. Mysterium incarnationis certiores nos facit Deum alia ex parte se communicare semper certa in historia, assumendo culturales codices in ipsa inscriptos, alia autem ex parte idem Verbum diffundi potest ac debet diversas in culturas, mutando eas ab intra, per hoc quod Summus Pontifex Paulus VI appellavit *evangelizationem culturalium*.<sup>364</sup> Verbum Dei, sicut ceterum christiana fides, ita indolem ostendit prorsus *interculturalem*, capacem diversas culturas inveniendi et agendi ut eadem inter se conveniant.<sup>365</sup>

<sup>362</sup> Cfr *Propositio* 44.

<sup>363</sup> IOANNES PAULUS II, *Nuntius ad XXXVI Diem mundialem communicationum socialium* (24 Ianuarii 2002), 6: *Insegnamenti*, XXV, 1 (2002), 94-95.

<sup>364</sup> Cfr Adhort. ap. *Evangelii nuntiandi* (8 Decembris 1975), 20: *AAS* 68 (1976), 18-19.

<sup>365</sup> Cfr BENEDICTUS XVI, Adhort. ap. postsynodalis *Sacramentum caritatis* (22 Februarii 2007), 78: *AAS* 99 (2007), 165.

Hoc in rerum contextu intellegitur etiam valor *inculturatio-*  
*nis* Evangelii.<sup>366</sup> Ecclesia firmiter persuasa est de intrinseca facultate Verbi Dei omnes humanas personas attingendi in culturali contextu in quo vivunt: «Persuasio haec ex ipsis Bibliis provenit quae, inde a libro Genesis, universalem assumunt sensum (cfr *Gn* 1,27-28), quem servant deinde in benedictione cunctis populis promissa propter Abraham eiusque descendentiam (cfr *Gn* 12,3; 18,18) eundemque definitive confirmant, dum extendunt evangelizationem “ad omnes gentes”». <sup>367</sup> Quamobrem inculturatio non est permutanda cum processibus superficialis accommodationis neque cum confusione syncretismi quae minuit authenticitatem Evangelii quo facilius acceptabile reddatur.<sup>368</sup> Genuinum paradigma inculturationis est ipsa Verbi incarnatio: «“adculturatio” vel “inculturatio” realiter erit quaedam incarnationis Verbi imago, cum cultura, transformata et regenerata ab Evangelio, sua in traditione efficit originales vitae, celebrationis, christianae cogitationis expressiones», <sup>369</sup> culturam localem ab intus fermentando, existimando *semina Verbi* et omnia quae in ipsa positiva inveniuntur, eam ad evangelicos valores aperiendo.<sup>370</sup>

### *Bibliorum versiones ac diffusio*

115. Si inculturatio Verbi Dei pars est necessaria missionis Ecclesiae in mundo, momentum decretorium huius processus est diffusio Bibliorum per eximium opus versionis varios in sermones. Hac in re semper considerandum est operam versionum Scripturarum «initium habuisse usque a temporibus Veteris Tes-

<sup>366</sup> Cfr *Propositio* 48.

<sup>367</sup> PONTIFICIA COMMISSIO BIBLICA, *L'interpretazione della Bibbia nella Chiesa* (15 Aprilis 1993), IV, B: *Ench. Vat.*, 13, n. 3112.

<sup>368</sup> Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Decr. de activitate missionali Ecclesiae *Ad gentes*, 22; PONTIFICIA COMMISSIO BIBLICA, *L'interpretazione della Bibbia nella Chiesa* (15 Aprilis 1993), IV, B: *Ench. Vat.*, 13, nn. 3111-3117.

<sup>369</sup> IOANNES PAULUS II, *Allocutio ad Episcopos Keniae* (7 Maii 1980), 6: *AAS* 72 (1980), 497.

<sup>370</sup> Cfr *Instrumentum laboris*, 56.

tamenti, cum textus Hebraicus Bibliorum oretenus in Aramaim linguam conversus est (cfr *Ne* 8,8.12), ac serius, in scriptis in Graecanicum sermonem. Nam versio semper est quiddam maius quam mera transcriptio textus originalis. Transitio ex una in aliam linguam necessario implicat commutationem contextus culturalis: conceptus non sunt iidem ac symbolorum pondus diversum est, quoniam generant relationem cum aliis mentis traditionibus aliisve modis vivendi». <sup>371</sup>

Ex laboribus synodalibus deprehensum est quasdam esse Ecclesias particulares quae nondum habent Bibliorum integram versionem in propria cuiusque lingua. Quot populi hodie Verbum Dei esuriunt ac sitiunt, sed pro dolor hactenus fieri nequit ut iis «aditus ad sacram Scripturam late pateat», <sup>372</sup> ut in votis fuerat Concilii Vaticani II! «Huius rei causa magni momenti habet Synodus, imprimis, ut periti edoceantur, qui se dedant Bibliis in vernaculos sermones convertendis». <sup>373</sup> Hortamur ut hoc in ambitu vires impendantur. Praecipue admonere cupimus ut sustineatur opus Foederationis Biblicae Catholicae quo magis augeatur numerus versionum sacrae Scripturae earumque accurata diffusio. <sup>374</sup> Aequum est ut opus hoc ipsam ob eius naturam, efficiatur, quantum fieri potest, in cooperatione cum diversis Societatibus Biblicis.

### *Verbum Dei praetergreditur culturarum limites*

116. Coetus synodalis, disceptans de relatione inter Verbum Dei et culturas, percepit necessitatem confirmandi ea quae primi christiani experiri potuerunt inde a die Pentecostes (cfr *Act* 2,1-13). Verbum divinum in diversas culturas et linguas penetrare

<sup>371</sup> PONTIFICIA COMMISSIO BIBLICA, *L'interpretazione della Bibbia nella Chiesa* (15 Aprilis 1993), IV, B: *Ench. Vat.*, 13, n. 3113.

<sup>372</sup> CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de divina Revelatione *Dei Verbum*, 22.

<sup>373</sup> *Propositio* 42.

<sup>374</sup> Cfr *Propositio* 43.



valet et in iisdem exprimi, sed ipsum Verbum limites singularum culturarum transfiguratur, communionem edens apud diversos populos. Verbum Domini invitat nos ut procedamus ad ampliorem communionem. «Exeamus ex angustiis experientiarum nostrarum ingrediamurque in illam realitatem quae vere est universalis. Dum accedimus ad communionem cum Verbo Dei, ingredimur in communionem Ecclesiae, quae vivit Verbum Dei. ... Quod sibi vult transire ex limitibus uniuscuiusque culturae in universalem unionem quae omnes congregat, omnes coniungit, omnes nos fratres efficit». <sup>375</sup> Idcirco annuntiare Verbum Dei semper primum a nobis ipsis requirit renovatam exordium, ut, nostris mensuris nostrisque angustiis cogitationibus relictis, spatium in nobis Christi praesentiae tribuamus.

#### VERBUM DEI ET DIALOGUS INTER RELIGIONES

##### *Valor dialogi inter religiones*

117. Ecclesia agnoscit uti partem praecipuam proclamationis Verbi occursum et dialogum cum omnibus hominibus bonae voluntatis, ac potissimum cum personis ad varias hominum traditiones religiosas pertinentibus, vitatis formis syncretismi vel relativismi, iuxta normas designatas in Declaratione *Nostra aetate* Concilii Vaticani II et explicatas a subsequenti Magisterio Summorum Pontificum. <sup>376</sup> Celer globalizationis processus, nostrae

<sup>375</sup> BENEDICTUS XVI, *Homilia ad celebrationem Horae Tertiae, prima ineunte Generali Congregatione Synodi Episcoporum* (6 Octobris 2008): *AAS* 100 (2008), 760.

<sup>376</sup> Inter plurimas elocutiones varii generis memorandae sunt: IOANNES PAULUS II, Litt. enc. *Dominum et vivificantem* (18 Maii 1986): *AAS* 78 (1986), 809-900; ID., Litt. enc. *Redemptoris missio* (7 Decembris 1990): *AAS* 83 (1991), 249-340; ID., Allocutiones et homiliae Assisii habitae occasione data Diei orationis pro pace die 27 Octobris 1986: *Insegnamenti* IX,2, (1986), 1249-1273; Dies Orationis pro Pace Mundi (24 Ianuarii 2002): *Insegnamenti* XXV,1 (2002), 97-108; CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI, Decl. de unicitate et universalitate salvifica Iesu Christi et Ecclesiae *Dominus Iesus* (6 Augusti 2000): *AAS* 92 (2000), 742-765.

aetati proprius, adducit in condiciones cum hominibus diversarum culturarum et religionum artiore nexu vivendi. Agitur de providenti opportunitate ad exhibendum quomodo authenticus sensus religiosus inter homines relationes universalis fraternitatis promovere possit. Maximi momenti est ut religiones nostris in societatibus, saepe saecularismo affectis, mentem fovere valeant quae in Deo omnipotenti fundamentum cuiusque boni, inexhaustum vitae moralis fontem, sustentaculum altioris sensus fraternitatis universalis contueatur.

Exempli gratia, in traditione Hebraico-christiana invenitur singularis attestatio amoris Dei erga omnes populos, quos Ipse, iam in Foedere pacto cum Noe, uno ingenti amplexu congregat ac si esset « arcus super nubibus » (*Gn* 9,13.14.16) quosque, secundum oracula prophetarum, in unam universalem familiam colligere percipit (cfr *Is* 2,2ss; 42,6; 66,18-21; *Ier* 4,2; *Ps* 47). Revera, testimonia intimi nexus inter necessitudinem cum Deo et ethicam amoris erga omnem hominem deteguntur in multis magnis traditionibus religiosis.

#### *Dialogus inter christianos et muslimos*

118. Inter varias religiones, « Ecclesia cum aestimatione quoque muslimos respicit qui unicum Deum adorant ». <sup>377</sup> Ipsi ad Abraham se referunt ac Deum praecipue oratione, eleemosyna et ieiunio verentur. Agnoscimus in Islamica traditione plurima esse imagines, symbola ac themata biblica. Prosequentes magni momenti operam Venerabilis Servi Dei Ioannis Pauli II, exoptamus ut necessitudines fiducia inspiratae, quae aliquot ante annos sunt initae inter christianos et muslimos, sinceri ac reverentis dialogi spiritu progrediantur et evolvantur. <sup>378</sup> Hoc in dialogo,

<sup>377</sup> CONC. OECUM. VAT. II, Decl. de Ecclesiae habitudine ad religiones non christianas *Nostra aetate*, 3.

<sup>378</sup> Cfr BENEDICTUS XVI, *Allocutio ad Legatos Nationum plerumque Macometanae doctrinae apud Sedem Apostolicam receptos* (25 Septembris 2006): *AAS* 98 (2006), 704-706.

exoptavit Synodus, ut penitus inspicerentur sive reverentia vitae uti valoris fundamentalis, sive leges inalienabiles viri et mulieris sive par eorum dignitas. Prae oculis habita differentia inter ordinem sociale-politicum atque ordinem religiosum, religiones contribuere debent ad bonum commune. Synodus postulat a Conferentiis Episcoporum ut, ubi hoc opportunum visum fuerit et proficuum, occursus foveant mutuae cognitionis inter christianos et muslimos ad promovendos valores quibus societas indiget pro pacifico ac positivo convictu.<sup>379</sup>

#### *Dialogus aliis cum religionibus*

119. Hoc in rerum contextu manifestare insuper cupimus reverentiam Ecclesiae erga antiquas religiones et traditiones spirituales quae in variis Continentibus existentes amplectuntur valores qui comprehensioni inter personas et populos magnopere favere possunt.<sup>380</sup> Frequenter animadvertimus syntoniam cum valoribus manifestatis etiam in eorum libris religiosis, quales sunt, exempli gratia, vitae reverentia, contemplatio, silentium, simplicitas in Buddhismo; sensus sacralitatis, sacrificii et ieiunii in Hinduismo; necnon familiares et sociales valores in Confucianismo. In aliis quoque experienciis religiosis sinceram reperimus attentionem ad Dei transcendentiam, qui tamquam Creator agnoscitur, ad reverentiam quoque vitae, matrimonii et familiae necnon ad solidum solidaritatis sensum.

#### *Dialogus et libertas religiosa*

120. Dialogus tamen fecundus non esset si authenticam cuiusque personae observantiam non contineret, ita ut ipsa libere suae religioni adhaerere possit. Quapropter Synodus, dum cooperationem promovet inter praestantiores diversarum religio-

<sup>379</sup> Cfr *Propositio* 53.

<sup>380</sup> Cfr *Propositio* 50.

num delegatos, « necesse item esse monet, ut omnium credentium libertas suam fidem profitendi et privatim et publice, sed etiam conscientiae libertas, in tuto collocentur». <sup>381</sup> Nam «observantia et dialogus postulant mutuam aestimationem in cunctis aspectibus, praesertim in iis quae libertates fundamentales ac potissimum libertatem religiosam attingunt. Ipsi inter populos pacem fovent et concordiam ». <sup>382</sup>

<sup>381</sup> *Propositio 50.*

<sup>382</sup> IOANNES PAULUS II, *Allocutio Albae Domi, in Marochio ad iuvenes muslimos habita* (19 Augusti 1985), 5: *AAS* 78 (1986), 99.

## CONCLUSIO

### *Definitivum Dei verbum*

121. Hisce meditationibus ad finem vertentibus, in quibus colligere volumus et altius illustrare divitias XII Coetus Generalis Synodi Episcoporum de Verbo Dei in vita et in missione Ecclesiae, iterum hortari cupimus universum Dei Populum, Pastores, sodales vitae consecratae atque laicos, ut studeant maiorem in dies consuetudinem cum sacris Scripturis excolere. Numquam est obliviscendum fundamentum cuiusque authenticae vivaque christianae spiritualitatis esse *Verbum Dei nuntiatum, acceptum, celebratum et meditatatum in Ecclesia*. Haec artior necessitudo cum divino Verbo maiore fiet impetu si certiores erimus nos, sive in sacra Scriptura sive in viva Ecclesiae Traditione, versari coram definitivo Dei Verbo circa cosmum et historiam.

Sicut in Prologo Evangelii secundum Ioannem contemplari possumus, omnis creatura sub signo stat Verbi. Verbum a Patre procedit et venit ut commoretur inter suos, et redit in sinum Patris ut secum ferat omnem creaturam quae in Ipso et per Ipsum est creata. Nunc Ecclesia vivit suam missionem in trepidanti expectatione eschatologicae Sponsi manifestationis: « Spiritus et Sponsa dicunt: "Veni!" » (*Ap 22,17*). Exspectatio haec numquam est passiva, sed missionaria propensio ad nuntium Verbi Dei quod sanat et redimit omnem hominem: Iesus resuscitatus unicuique nostrum hodie iterum dicit: « Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae » (*Mc 16,15*).

### *Nova evangelizatio et nova auditio*

122. Nostra igitur aetas magis in dies aetas esse debet novae Verbi Dei auditionis et *novae evangelizationis*. Praecipuum locum divini Verbi in vita christiana reperire ducit nos itaque ad detegendum altiorem sensum monitionum quae Summus Pontifex Ioannes Paulus II vehementer repetere consueverat, nempe, ut continuaretur *missio ad gentes* cunctisque viribus susciperetur nova evangelizatio, maxime apud illas nationes ubi Evangelium oblivioni datum est vel indifferentiam patitur apud plerosque ob diffusum saecularismum. Spiritus Sanctus suscitet apud homines famem sitimve Verbi Dei atque ferventes praecones testesque Evangelii.

Exemplum sequentes praeclari Apostoli gentium, qui vitam suam mutavit postquam audivit vocem Domini (cfr *Act 9,1-30*), nos etiam divinum Verbum audimus quod semper hic et nunc personaliter nos interpellat. Spiritus Sanctus, ut narratur in *Actibus Apostolorum*, segregavit Paulum una cum Barnaba ad praedicationem divulgationemque Bonae Notitiae (cfr *13,2*). Similiter etiam in praesens Spiritus Sanctus vocare non desistit persuasos ac persuadentes auditores et praecones Verbi Domini.

### *Verbum et gaudium*

123. Quo dociliores erimus divini Verbi, eo altius deprehendere poterimus mysterium Pentecostes etiam hodie in actu esse apud Ecclesiam Dei. Spiritus Domini sua dona effundere pergit super Ecclesiam, ut perducamur ad plenam veritatem, nobis aperiens sensum Scripturarum et nos reddens in mundo praecones credibiles Verbi salutis. Sic redimus ad Primam Epistulam sancti Ioannis. In Verbo Dei nos quoque audivimus, vidimus atque contrectavimus Verbum vitae. Per gratiam accepimus nuntium quod vita aeterna manifestata est, ita ut in praesens percipiamus nos in communionem invicem inductos esse, cum iis qui nos praeces-

serunt in signo fidei atque cum iis omnibus qui dispersi in mundo audiunt Verbum, celebrant Eucharistiam, vivunt testimonium caritatis. Communicatio huius nuntii – memorat apostolus Iohannes – data est «ut gaudium nostrum sit plenum» (1 Io 1,4).

Synodalis Coetus nobis tribuit ut experiremur ea quae in Iohannis nuntio continentur: praedicatio Verbi creat *communio* efficitque *gaudium*. Agitur de altiore gaudio quod profluit ex ipso corde vitae trinitariae quodque nobiscum in Filio communicatur. De gaudio agitur veluti ineffabili dono quod mundus dare nequit. Institui possunt festa, non autem gaudium. Secundum Scripturam gaudium est fructus Spiritus Sancti (cfr Gal 5,22), quod nobis concedit ingredi in Verbum et efficere ut divinum Verbum in nos ingrediatur, fructus ferens pro vita aeterna. Verbum Dei in virtute Spiritus Sancti nuntiantes, communicare volumus etiam fontem veri gaudii, non brevis et fugacis, sed gaudii quod provenit e persuasionem solum Dominum Iesum verba vitae aeternae habere (cfr Io 6,68).

«*Mater Verbi et Mater laetitiae*»

124. Haec intima coniunctio inter Verbum Dei et gaudium plane in ipsa Dei Matre proponitur. Recordemur effatum sanctae Elisabeth: «Beata, quae credidit, quoniam perficientur ea, quae dicta sunt ei a Domino» (Lc 1,45). Maria est beata quoniam habet fidem, quia credidit, atque hac in fide accepit in proprio sinu Verbum Dei ut illud mundo traderet. Gaudium a Verbo exceptum, nunc dilatari potest in omnes qui in fide se mutari sinunt a Verbo Dei. *Evangelium secundum Lucam* duobus in locis ostendit nobis hoc mysterium audiendi et gaudendi. Iesus affirmat: «Mater mea et fratres mei hi sunt, qui verbum Dei audiunt et faciunt» (8,21). Atque prae exclamatione cuiusdam e turba mulieris, quae vult extollere ventrem qui portavit eum et ubera quae aluerunt eum, Iesus revelat secretum veri gaudii: «Quinimmo beati, qui audiunt verbum Dei et custodiunt!» (11,28).

Iesus Mariae veram magnitudinem ostendit, aperiens sic etiam unicuique nostrum facultatem illam beatitudinem adipiscendi quae nascitur e Verbo accepto et perfecto. Quapropter in omnium christianorum memoriam referimus nostram personalem et communitariam consuetudinem cum Deo pendere ab incremento nostrae familiaritatis cum divino Verbo. Mentem denique Nostram vertimus ad omnes homines bonae voluntatis, etiam ad eos qui deflexerunt ab Ecclesia, qui fidem reliquerunt vel nunquam salutis nuntium audiverunt. Unicuique Dominus dicit: «Ecce sto ad ostium et pulso. Si quis audierit vocem meam et aperuerit ianuam, introibo ad illum et cenabo cum illo et ipse mecum» (*Apc* 3,20).

Singuli igitur dies nostri informentur oportet renovato occursum cum Christo, Verbo Patris carne facto: Ipse est in principio et in fine, «et omnia in ipso constant» (*Col* 1,17). Silentium teneamus ut Verbum Domini audiamus et meditemur, ut illud per actionem efficacem Spiritus Sancti omnibus diebus vitae nostrae in nobis morari, vivere et loqui pergat. Hoc modo Ecclesia iugiter renovatur et iuvenescit per Verbum Domini quod manet in aeternum (*cfr* *1 Pe* 1,25; *Is* 40,8). Sic etiam nos ingredi possumus in magnum dialogum nuptialem, quo sacra Scriptura concluditur: «Et Spiritus et sponsa dicunt: “Veni!”. Et qui audit, dicat: “Veni!”. Dicit, qui testimonium perhibet istorum: “Etiam, venio cito”. “Amen. Veni, Domine Iesu!”» (*Apc* 22,17.20).

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XXX mensis Septembris, in memoria sancti Hieronymi, anno MMX, Pontificatus Nostri sexto.

BENEDICTUS PP. XVI



## INDEX RERUM

EXORDIUM [1] . . . . .	3
Ut gaudium nostrum sit plenum [2] . . . . .	4
Ex Constitutione « Dei Verbum » ad Synodum de Dei Verbo [3] . . . . .	5
Synodus Episcoporum de Dei Verbo [4] . . . . .	7
Ioannis Evangelii Prologus ut ductor [5] . . . . .	8

### PARS PRIMA VERBUM DEI

DEUS QUI LOQUITUR . . . . .	13
Dialogi Deus [6] . . . . .	13
Dei Verbi analogia [7] . . . . .	14
Cosmica Verbi ratio [8] . . . . .	16
Hominis creatio [9] . . . . .	17
Verbi realismus [10] . . . . .	18
Christologia Verbi [11-13] . . . . .	19
Dei Verbi eschatologica ratio [14] . . . . .	23
Dei Verbum et Spiritus Sanctus [15-16] . . . . .	25
Traditio et Scriptura [17-18] . . . . .	28
Sacra Scriptura, inspiratio et veritas [19] . . . . .	30
Deus Pater, Verbi fons et origo [20-21] . . . . .	32
 HOMINIS RESPENSIO AD DEUM LOQUENTEM . . . . .	 33
Vocati ad Foedus cum Deo suscipiendum [22] . . . . .	33
Deus exaudit hominem ad eiusque interrogationes respondet [23] . . . . .	34
Cum Deo colloquendum per Ipsius verba [24] . . . . .	35
Verbum Dei et fides [25] . . . . .	35
Peccatum tamquam non-auditio Verbi Dei [26] . . . . .	36
Maria « Mater Verbi Dei » et « Mater fidei » [27-28] . . . . .	37
 HERMENEUTICA SACRAE SCRIPTURAE IN ECCLESIA . . . . .	 39
Ecclesia, originalis sedes hermeneuticae Bibliorum [29-30] . . . . .	39
« Anima sacrae Theologiae » [31] . . . . .	42
Diffusio investigationis biblicae et ecclesiale Magisterium [32-33] . . . . .	43
Hermeneutica biblica conciliaris: annotatio quaedam amplectenda [34] . . . . .	45

Periculum dualitatis et hermeneutica saecularizata [35] . . . . .	46
Fides et ratio in aditu ad Scripturam [36]. . . . .	48
Sensus litteralis et sensus spiritualis [37] . . . . .	49
Necessaria transcendentia «litterae» [38] . . . . .	51
Intrinseca Bibliorum unitas [39]. . . . .	53
Nexus inter Vetus et Novum Testamentum [40-41] . . . . .	54
Paginae «obscurae» Sacrarum Litterarum [42] . . . . .	56
Christiani et Hebraei cum relatione ad Sacras Litteras [43] . . . . .	57
Interpretatio fundamentalistica sacrae Scripturae [44]. . . . .	59
Dialogus inter pastores, theologos et exegetas [45]. . . . .	60
Biblia et oecumenismus [46]. . . . .	61
Consectaria circa studiorum theologorum positionem [47] . . . . .	62
Sancti et interpretatio Scripturae [48-49]. . . . .	63

## SECUNDA PARS

### VERBUM IN ECCLESIA

VERBUM DEI ET ECCLESIA . . . . .	69
Ecclesia accipit Verbum [50] . . . . .	69
Identitas temporis Christi in Ecclesiae vita [51] . . . . .	70
LITURGIA PRAECIPUA VERBI DEI SEDES . . . . .	71
Verbum Dei in sacra Liturgia [52] . . . . .	71
Sacra Scriptura et sacramenta [53]. . . . .	73
Verbum Dei et Eucharistia [54-55]. . . . .	74
Sacramentalis qualitas Verbi [56] . . . . .	76
Sacra Scriptura et Lectionarium [57]. . . . .	78
Proclamatio Verbi et ministerium lectoratus [58] . . . . .	79
Momentum homiliae [59] . . . . .	79
Opportunitas Directorii homiletici [60]. . . . .	81
Verbum Dei, Reconciliatio et Unctio infirmorum [61] . . . . .	81
Verbum Dei et Liturgia Horarum [62] . . . . .	83
Verbum Dei et Benedictionale [63]. . . . .	84
Consilia et proposita specifica ad liturgicam animationem [64] . . . . .	85
a) Celebrationes Verbi Dei [65] . . . . .	85
b) Verbum et silentium [66] . . . . .	86
c) Sollemnis Verbi Dei proclamatio [67]. . . . .	87
d) Verbum Dei in templo christiano [68] . . . . .	87
e) Exclusivum textuum biblicorum ius in liturgia [69] . . . . .	88

f) Cantus liturgicus biblice inspiratus [70]. . . . .	89
g) Peculiaris sollicitudo erga non videntes et non audientes [71]	89
VERBUM DEI IN VITA ECCLESIALI . . . . .	90
Occurrendum Verbo Dei in sacra Scriptura [72] . . . . .	90
Biblica animatio actionis pastoralis [73] . . . . .	91
Catechesis biblica ratio [74] . . . . .	92
Christianorum biblica formatio [75] . . . . .	94
Sacra Scriptura in magnis ecclesialibus congressionibus [76] . . . . .	94
Verbum Dei et vocationes [77]. . . . .	95
a) Verbum Dei et Ministri ordinati [78-81] . . . . .	96
b) Verbum Dei et candidati ad Ordinem sacrum [82]. . . . .	98
c) Verbum Dei et vita consecrata [83] . . . . .	99
d) Verbum Dei et christifideles laici [84] . . . . .	101
e) Verbum Dei, matrimonium et familia [85] . . . . .	102
Orans lectio sacrae Scripturae et lectio divina [86-87] . . . . .	103
Verbum Dei et precatio Marialis [88] . . . . .	107
Verbum Dei et Terra Sancta [89]. . . . .	109

### TERTIA PARS

### VERBUM MUNDO

ECCLESIAE MISSIO: MUNDO VERBUM DEI ANNUNTIARE. . . . .	113
A Patre et ad Patrem Verbum [90]. . . . .	113
Spei « Logon » mundo nuntiare [91]. . . . .	114
Ex Dei Verbo Ecclesiae missio [92]. . . . .	115
Verbum et Dei Regnum [93]. . . . .	115
Omnes baptizati nuntiandi officio tenentur [94]. . . . .	116
Necessitas « missionis ad gentes » [95]. . . . .	117
Nuntius ac nova evangelizatio [96]. . . . .	118
Dei Verbum et christiana testificatio [97-98] . . . . .	119
DEI VERBUM ET IN MUNDO MUNUS . . . . .	121
Iesu inservire in « fratribus minimis » (Mt 25,40) [99] . . . . .	121
Verbum Dei et pro iustitia in societate officium [100-101] . . . . .	122
Dei Verbi nuntius, inter gentes reconciliatio ac pax [102]. . . . .	123
Dei Verbum et operosa caritas [103] . . . . .	124
Dei Verbi nuntius et iuvenes [104] . . . . .	125
Dei Verbi nuntius et migrantes [105]. . . . .	126

Dei Verbi nuntius et languentes [106]	127
Dei Verbi nuntius et pauperes [107]	128
Dei Verbum et creati tutela [108]	129
DEI VERBUM ET CULTURAE	130
Culturae pondus pro hominis vita [109].	130
Biblia ut magnus culturalium codex [110].	131
Bibliorum in scholis et in studiorum universitatibus cognitio [111]	132
Sacra Scriptura in diversis artis formis [112]	132
Verbum Dei et instrumenta communicationis socialis [113].	133
Biblia et inculturatio [114]	134
Bibliorum versiones ac diffusio [115].	135
Verbum Dei praetergreditur culturalium limites [116]	136
VERBUM DEI ET DIALOGUS INTER RELIGIONES.	137
Valor dialogi inter religiones [117]	137
Dialogus inter christianos et musulmanos [118]	138
Dialogus aliis cum religionibus [119]	139
Dialogus et libertas religiosa [120]	139
CONCLUSIO	141
Definitivum Dei verbum [121].	141
Nova evangelizatio et nova auditio [122]	142
Verbum et gaudium [123].	142
«Mater Verbi et Mater laetitiae» [124]	143



TYPIS VATICANIS